REFVTATIO APOLOGIÆ Jacobi Herbrandi Lutherani,

DE CAVSIS CVR SVSCEPTVM DE IDOLOLATRIA CERTAMEN DESERERE inſtituerit.

AVTHORE

GREGORIO DE VALENTIA D: THEOL.

Societatis IESV.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.

INGOLSTADII

Excudebat DAVID SARTORIVS.

Anno M. D. LXXXI.

AD PIVM LE-
CTOREM.

QVOD SECVNDO Herbrandus rationes reddiderit, cur ampliùs mecum de Idololatria diſputare nolit, calliditatis cuiuſdam non nimiùm obſcuræ,& parùm ei vtilis indicium eſt. Nam non hoc agit, vt prætextu rationum, diſputare mecum ipſe deſiſtat,ſed vt illum ego cõfutare non pergam,quò ſi tacuero,gloriari videlicet poſſit à ſe victum me fuiſſe. Cur enim non ceſſat, ſi finem contendendi facere tantoperè cupit? Si contra me ſcri-

b.re de hac quæſtione nõ vult, cur adhuc vult contra me ſcribere? Proteſtatus certè iam antè admodùm ſeriò fuerat, non ampliùs ſe hoc de argumento diſputaturum: nunc nihil veritus inconſtantię ignominiam, valde multa de idololatria diſputat ſeu repetit potiùs, in eãdemq́ue arenam rediit, ex qua ſe proripuerat. An non hic doluseſt, falſa & ficta promiſſione ſilentij ſilentium velle imponere? An priùs finire non inſtituit, q̃ ex me, viciſſe ipſum, audierit? Nunquam hoc ſum conceſſurus, quoniam nunquã vincetur ab errore veritas.

Quòd ſi exſpectat, dum à conſcientia ſaltem propria, tanquam turpiter à veritate victus non arguatur, tantò minus hoc obtinebit, quantò progredietur in hac cõtrouerſia longius. Induit enim miſer ſe, quò magis eluctari ſtudet, in plures laqueos, nec ſcribendo refellit, ſed præbet ad ſe ſine fine refellẽdum materiam vberrimam. Ergo quia prioribus à me libris abſoluta controuerſia eſt, indicabo, quàm breuiſſimè potero, quemadmodum iſte in poſtremo ſcripto, quo non tam me, quàm fidem exiſtimationemque ſuam oppugnauit, ſui

ſit ſimillimus; vel potiùs earũ-
dem nugarum repetitione ver-
boſa, atq; inani, totus ſit idem.
Vale Lector optime, & pro
me CHRISTVM de-
precare.

I.

CAVSAM vnam, cur iſte non amplius diſputaturum ſe mecũ ſcripſiſſet, eam eſſe oſtendi, quòd definitionem idololatriæ veram, et amplius quàm triginta ſcripturæ teſtimoniis à me probatam, ex qua monſtraui criminationes ſectariorum in Eccleſiam & improbas eſſe & falſas, refutare nullo modo potuerit. Reſpondet modo idipſum, quod cùm anteà quoque reſpondiſſet: his ego verbis (ad quæ neque modò miſer iſte reſponde:) commemorauerãm refutaueramq́;: Ad hæc teſtimonia tu pro admirandã illa in ſacris literis exercitatione, ſcilicet, qua vales, reſpondiſti tantùm, non fuiſſe opus operoſa coacematione teſtimoniorũ ad confirmandum, id eſſe idololatriam, (creaturæ diuinum honorem ſic tribuere, quomodo debet attribui ſoli Deo) hoc te contendere idololatriam alia etiam ratione cõmitti poſſe.] Hîc ego inter cætera; tam rudis, inquam, Herbrande es, vt non intelligas, iiſdem argumẽtis ac teſtimoniis confirmari, definitionem alicuius rei eſſe rectam, & rationem definitæ rei non aliter neq; aliam eſſe poſſe, quàm in definitione explicatur? Ex- Fol 6. Spongiæ. Fol. 4. In confutatione Spongiæ. In defenſione 1. cap. Apologet.

pone igitur tu, quemadmodum alicuius rei definitionem ex Scripturis confirmari oporteat, & hoc ipſum exemplo aliquo & vſu tuo declara, tum Lector intelliget, quid in probatione definitionis meæ defuerit, vel potius quid in tuo iudicio atque doctrina deſideretur.] Ad hanc nimirum poſtulationem meam bis iam iſte turpiſſimè obmutuit; ſiquidem & in explicatione cauſarum ab eo item petiuerim, vt hac ratione & modo doceret, non ſatis à me Scripturæ teſtimoniis probatam eſſe definitionem illam meam. Nihilo magis expedit quod obieceram, eam ipſam definitionem meam ab iſto incautè tum fuiſſe laudatam, cùm definitionem Gerſonis, quæ à mea verbis tantummodo non re differt, (vt euidenter oſtendi) approbauit, inquiens; Quantò rectiùs Gerſon Doctor clariſſimus idololatriam definiuit eſſe, cùm honor diuinus creaturæ tribuitur aliter quàm ſibi poteſt competere?] Nihil enim proficit, dum teſtimoniis non neceſſariis laborat oſtendere, comparatiuum, vt inquit, non ſemper ſupponere poſitiuum, atque adeò non idcircò ſe definitionem Gerſonis rectam eſſe cenſuiſſe, quoniam rectiùs ipſum quàm me idololatriam defini-

In confutatione Spongiæ ca. 2.

Fol. 5. & ſequent.

finiuiſſe ſcripſerit. Ego enim, non quia vtcunque iſte dixerit, Gerſonem definiuiſſe rectiùs, definitionem Gerſonis ab eo probatam eſſe perſuaſi mihi, ſed quia cum ſtudio, cum emphaſi, cum inſigni epitheto, quò Doctoris eruditionē & præſtantiam declararet, id dixerit: & quidem adiūcta vi quadam per interrogationem illam minimè, vt ex ipſa dictione apparet, dubiam: quantò rectiùs Gerſon Doctor clariſſimus idololatriā definiuit his verbis? &c.] Hoc modo certè neq; ſibi neque aliis vnquam Herbrandus perſuadere poterit, voluiſſe ſe tantùm dicere, definitionem Gerſonis non quidem bonam, ſed minus malam eſſe. Quare neque eſt Fol 9. & 10. *vllo modo credibile, quod item ſuadere nobis iſte conatur, ſe tunc Gerſonem appellauiſſe clariſſimum Doctorem, non quia rectè etiam deſcripſerit idololatriam, ſed quoniam alia, quæ ad hanc controuerſiam non pertinent, eum arbitretur ſcripſiſſe rectè.*

Sed ludit Herbrandus hoc loco. Et: Quan- Fol. 6. *tò rectiùs, inquit, mihi licet dicere & inuerſione vti, Gregorius de Valentia dicit, idololatriam dici ea, quæ à ſe in definitione idololatriæ tradita non comprehenſa ſunt, à me verò ad-*

 dita

dita, poſſe metaphoricè. Probat ergò ipſe meam definitionem.] Imò: Ergò improbat, Debuiſſes, bone vir, hîc concludere. Vt enim in Apologet: Cap. 1. *quod fortaßis iam oblitus es, perſpicuè tibi oſtendi, vitium eſt in definiendo maximum, definitione eas etiam res comprehendere, quibus rei definitæ nomẽ metaphoricè accõmodatur: Alioqui ſi ad definitionem bonam id pertinere putas, cogeris (vt aliâs tibi obieci) in definitione Leonis, quam exempli cauſa abs te petemus, Chriſtum & Belial coniungere; nam* 1. Petri 5. Apocal. 5. *vterque in Scripturis, ſicut minimè ignoras, Leo metaphoricōs dicitur. Hæc Herbrãnde, ſi aut non credis aut non intelligis, habes, qui te libenter Dialecticam docturi ſint, Patronos tuos artium & Philoſophiæ Profeſſores Scholæ veſtræ Tubingenſis, quibus ſcriptum hoc tuum poſtremũ honoris ergò & neceßitatis tuæ fortaßis cauſa dedicaſti.*

II.

ALTERAM *cauſam ſimulati conſilij* Cap. 2 confuta. Spong. & Apolog. *iſtius, videlicet non amplius de idololatria diſputandi, eſſe affirmaui, quia neque definitionem ſuam defendere potuit, quam ego explica-*

tis

tis Scripturæ locis omnibus, quos vt eam probaret, corruperat, manifeſtè reuici. Quid verò iſte? Annon, inquit, definitionem meam, omneſq́ eius partes defendi, primùm quidem in diſputatione mea à propoſ. 12. vſque ad 21. Deinde in Spong. per 12. fol. integra?] Quaſi verò defendere ac probare voluiſſe, defendiſſe omninò ac probauiſſe ſit. Conferat Lector cum locis ab iſto notatis ea, quæ ipſe in Apologet. & confutatione Spongiæ cap. 1. & 2. diffusè pro definitione mea, contra definitionem iſtius ex Scriptura ſacra diſputaui, et nihil dubito, quin intellecturus ſit, qualem iſte Scripturæ corruptelam, defenſionem appellet definitionis ſuæ. Oſtendi enim ad oculū, monſtrata etiam aperta antitheſi inter ſcripturæ verba et verba iſtius, eum optimo iure cenſeri & dici poſſe Antiprophetam, vt qui aduerſa fronte Prophetarum perſpicuis verbis & ſententiis repugnet. Fol. 11.

At inquit, meo etiam teſtimonio & confeſſione, ſe definitionem ſuam probauiſſe, cùm dixi: Vt igitur maximè liberalis eſſe erga Herbrandum velim, nihil amplius illi concedere poſſum, quàm vt ea, quæ aſſerit in definitione idololatriæ à me tradita non comprehendi Fol. 11.

hendi,(intelligit autem ea,inquit, quæ ego addidi ipſius definitioni in mea) idololatria metaphoricè dici queant.] *Quũ Dialecticis Herbrande hominibus ſcriptum dedicâris tuum, cur non diligentius in eo caues peccata contra Dialecticam? Nonne ſæpius audiſti, definitionem comprehendentem etiam res, ad quas rei definitæ vocabulum metaphoricè transfertur, eſſe vitioſam? Hoc ſi ita eſt; vt maximè tibi liberaliter dediſſem definitione tua comprehendiſſe te res, quæ idololatria metaphoricè dici poſſunt, (quod ipſum tamen dixi & probaui eſſe falſum) confeſſus certè non aliud fuiſſem, quàm vitioſam definitionẽ te tradidiſſe. Quid igitur ais, bonitatẽ definitionis tuæ hac etiam confeſsione mea & teſtimonio conſtare?*

Cap.1 & 2. Apolog & confutat. Spong.

Fol.11.

Quod porrò ſubiungis, cultus verò Deo adhibitos ob aliquam circumſtantiam prauos, quos in illa definitione tua inter cætera complexus es, non metaphoricè, ſed propriè à Prophetis exiſtimatos fuiſſe idololatriam, quam fornicationis nomine notauerint arguerintq́, multis in locis diſputationum mearum, collatis inter ſe Propheticis ſententiis, conuici eſſe vaniſsimum figmentum veſtrum. Sed conaris iam

Cap 1.& 2. Apolog & confut.

iam probare, in cultu veri Dei admiſiſſe olim Fol. 12.
Gentes idololatriam teſtimonio Ariſtei Magi, Qui vt tu refers, pro Iudæis verba ad Regem Aegypti faciens, hunc in modum dixerit: Cognoui, Rex, quod tàm Iudæi quàm nos cola- Lib. 12. c. 2. antiq Ioſophi.
mus eum Deum, qui omnia condidit, quem vocamus Ζῆνον, *id eſt, viuificatorem, apto admodum vocabulo, quòd omnibus vitam largiatur.] Sed hinc Herbrande aliud non ſequitur, quàm quod Gentiles aliquam notionem generalem veri Dei (qualis illa eſt, quòd ſit nempe omnium viuificator,) accommodauerint cæco errore ad aliquem falſum ſuum Deum; ex quo putare potuerunt ſe per omnia eundem Deum quem fideles colere. Vnde & illic (quod tu diſſimulas) Ariſteus adiunxit, Iouem fuiſſe illum Deum, quem viuificatorem cenſerent Aegyptij. Quocirca eorum idololatria non in eo erat, quòd vero & vni Deo, qui à Iudæis colebatur, honorem prauè adhiberent, ſed quòd creaturam aliquam venerarentur inſipienter pro vero illo Deo viuificatore, cuius notionem vnã, videlicet generalem illam, viuificatoris, accõmodabant inſipienter ad creaturam. Quòd ſi maximè Deum etiam verum Gentes aliquæ coluiſ-*

coluiſſent, vnde tu Herbrande confirmabis, idololatriam commiſſam fuiſſe ab ipſis in cultu illius Dei veri, & non potius aliarum creaturarum, ad quas inſipienter diuinitatem deriuarent? Ex eo certè Ioſephi loco probare id non potes.

Fol. 12. *Ita quod repetis, Aſa regem à pietate cōmendari, quòd Altaria peregrini cultus ſubuerterit, aliâs oſtendi tibi peregrinum hunc* Cap. 2. confut. Spong. *cultum eum omnino fuiſſe, quem Iudæi à Gentibus infœliciter didicerunt, vt diuinis honoribus afficerent Baalin & alia vaniſſima idola, derelicto vero Deo.* Fol. 12. *Atque etiam opiniones falſas de vero Deo (quod item repetis) perſpicuè docui, non propriè ſed metaphoricè idololatriam ab Auguſtino dici.* Ca. 2. Apolog. & confut. ſub finē. *Qua in re & tuam Herbrande redargui inconſtantiam, quod iam contenderis, falſa contra fidem dogmata idololatriam eſſe propriè, iam, quum rationibus, quibus id commentum reuici, reſpondere non poſſes, negâris id te contendiſſe.*

Fol. 13. *Mitto hîc illa in Pontificem conuitia tua iniquiſſima, quòd Deum ſe terrenum faciat; quòd poteſtatem ſibi arroget ſtatuendi contra Epiſtolas Pauli; mutandi formas Sacramento-*

rum,

rum etc. Nam neq́ ego certè ſatis idonea verba reperiri poſſe puto, quibus tanta tamq́ maledica linguæ petulantia redarguatur, & nemo, præter eos, quos vos his calumniis miſerabiliter decipitis, non videt eſſe contumelias iſtas mendaciſsimas. Ad genus & differentiam idololatriæ, quæ in definitione tua cõtineri affirmaſti, tranſeo. Nam dixiſti abſurdiſsimè genus eſſe cultum, *differentiam autẽ,* Præter verbi Dei rationẽ. *Vt idololatria tua ſit, vno verbo, omnis cultus vndecunq́ illicitus, adeóque auerſus à verbi Dei ratione. Vbi cum contra ego primùm obiicerem, aſsignaſſe te pro differentia idololatriæ, quæ eſt vnius definitæ ſpeciei peccatum, id quod ſecundùm Apoſtolicam doctrinam commune eſt omnibus peccatis, ſcilicet, quòd exorbitent à recta regula ſapientiæ diuinæ, ſintq́ adeò præter verbi Dei rationem; antea tu nihil prorſus reſpondiſti. Modò autem breuiſsimè rem expedis, aisq́ differentiam aſtringi propter genus.*] *Sed nunquid quod aliquibus ſpeciebus commune tanquam genus illarum eſt, ita poterit ex vlla parte aſtringi, vt differentia propria fiat alicuius illarum ſpecierum? Nulla prorſus ratione. Quòd enim*

Fol. 8 Spõgiæ.

Cap. 2 confut. Spong.

1. Ioan. 3.

Fol. 15.

genus

genus aliquarum ſpecierum eſt, id commune permaneat neceſſe eſt. Atqui Herbrande iſto prorſus modo exorbitatio à diuina regula cō-mune quiddam omnibus peccatorum ſpeciebus eſt, nempè vt illarum genus. Hoc enim Ioannes Apoſtolus ſignificat, cùm peccatum generatim deſcribit eſſe iniquitatem, id eſt, obliquationem, vt ſic dicam, à rectiſſima æquiſſimaq́; officiorum regula, quæ eſt ratio diuinæ ſapien-
Lib. 22. contra Fauſtū cap 27. *tiæ. Hoc & illa peccati definitio ab Auguſtino tradita & ab omnibus recepta cōfirmat, ſcilicet, eſſe contra legem æternam. Quid ergò? Tàm mirabilis eſt iſta veſtra Tubingēſis Dialectica, vt genus plurium ſpecierum aſtringere eouſq; poſſit, donec fiat ſpeciei vnius ex illis ꝓpria differentia?*

Obieci etiam, neque genus aſſignauiſſe te proximum idololatriæ, cùm poſuiſti, illud eſſe Cultum. *Nō enim cultus, ſed cultus prauus genus eſt, quo proximè cōtinentur plura vitia ſpecie differentia inter ſe, quæ cum virtute Religionis pugnant, nempè periurium, ſacrile-*
Fol. 15. *gium, idololatria, etc. Nam quod ais, cultū duas tantum habere ſpecies: Verum, ſcilicet, ſiue diuinum; & falſum, impium, ſiue idololatricum,*

nimis

nimis à te inexplicatè & ineruditè dicitur. Sunt quidem duæ cultus ſpecies, vt vocãt, ſubalternæ, id eſt, quæ item ſpecies ſub ſe habeant, ſintq́; etiam genera; nimirum, Cultus rectus, & cultus prauus; ſed ſpecies hæc praui cultus latiùs multò quàm idololatria patet, cùm contineat etiam periurium, ſacrilegium &c. quæ ab idololatria nõ tanquam à ſuo genere, ſed tanquam ab altera ſpecie differre ſub eodem genere, negare non potes, niſi quod omnes loquũtur & ſciunt, tu ſolus neſcias.

Poſtremò, cùm ex definitione tua, qua deſcribis idololatriam eſſe cultum, præter verbi Dei rationem, id eſt, illicitum, ob quamcunque circumſtantiam, ſicut explicaſti, etiamſi deferatur vero Deo; cùm hinc, inquam, collegiſſem abſurda quædam abſurdiſſima, quæ ſunt conſequentia; ſilentio propter pudorem illa præteris, tantumq́; frigidiſſimè, planeq́; te dedens ais: Hinc etiam patet, nulla eſſe abſurda, quæ ipſe meæ affingit definitioni, quòd ex hac ſequantur.] Operæpretium autem eſt breuiter abſurda illa repetere vt conſtet, nihil prorſus te nunc dixiſſe vnde pateat illa vel abſurda non eſſe, vel non conſequi ex definitione tua.

Cap. 2. confut. Spong. & in explicat. 2. cauſæ.

Fol. 16.

Quia enim aſſeueras, cultum ex quauis circumſtantia illicitum eſſe planè idololatriam, obieci: Conſequẽs ex ea definitione eſſe, vt qui prauo fine propoſito, aut animo alienis cogitationibus diſtracto orat, aut quauis alia ratione in cultu peccat, idololatriam committat, quia in cultu verſatur præter verbi diuini normam, quod eſt paradoxon: Nam tunc Paulus, cùm ex zelo quodam religionis perſequebatur Eccleſiã Dei, cõmiſiſſet idololatriam. Item ſi ea definitio vera eſt, ſæpè verã idololatriam cõmittere ſectarios; niſi fortè diuinũ priuilegium habeant, vt in cultu nunq̃ ob malũ modum aut finẽ, &c. præter diuini verbi rationem peccent. Quocirca et temeritatẽ iſti exprobaui, quod vt nos petulantius idololatriæ accuſare poſſet, eam protulerit definitionẽ idololatriæ, quæ ſi vera eſt, ſeipſum & gregales ſuos idololatriæ quoq; accuſare, et vt ethnicos atq; idololatras, iis maledictis & conuitiis omnibus, quæ in nos eo nomine iniquè iacit, proſcindere debeat: quodq́; non ſit veritus, ne Lutherani, præſertim ingenui ac nobiles, hanc ſuam in ipſos improbam turpiſſimamq́; contumeliam ſeuerè vlciſcantur.] Scilicet, *Hæc Herbrãde belliſſimè diluiſti illis verbis:*

Hinc

Hinc patet, nulla eſſe abſurda, quæ ipſe meæ affingit definitioni, quòd ex hac ſequantur.] *Dic, vtrū ais ex eo, quod iam repetiuiſti, nempe idololatriam veram eſſe omnem cultum illicitum, patere? Non eſſe hæc, q̄ ex definitione tua collegi, abſurda; an illa certè nō eſſe conſequentia definitionē tuam? Si abſurda hæc eſſe non vis, abſurdiſſimum te Lutherani tui etiam iudicabūt adeoq́ exoſum habebunt, quòd illos etiā veriſſimos idololatras tua definitiōe, vt oſtēdi, facias. Erit etiā tibi omnibus, ne te arbitrentur deſipere, perſuadendum, orationem, quæ ad Deum fit animo minus collecto, iuramentum falſum, cupiditatem gloriolæ propter Dei cultum, et ſimilia, eſſe veriſſimā idololatriam, contra quam cōcionentur Prophetæ; quod hactenus neq́ auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Sin aūt abſurdū eſſe iudicas, vt quæ ſunt huius generis cenſeantur verè & propriè idololatria, negasq́, ideò ex definitione tua id conſequi, cui perſuadere hoc poteris, cū euidentiſſimū ſit, cultus hos eſſe illicitos, tuq́ aſſeueres, oēm cultum illicitū eſſe veriſſimā idololatriā? Ad perpetuam igitur rei memoriam nunc etiam volo miſeram iſtam defenſionem definitionis tuæ, turpeq́ ſilētium,*

quo texiſti abſurda collecta ex illa, luculentos teſtes eſſe, quòd non aliud, quàm inſcitia veræ rationis idololatriæ cum impudentia temeritateq́ꝫ coniuncta vobis hactenus contra omne ius & æquitatem, calumnias & contumelias improbiſſimas in Catholicos ſuppeditauerit.

III.

DIXI *etiam, iſtum ob eam cauſam tacere inſtituiſſe, quoniam ferre cum moleſtia diutius nollet me ſubinde ex eo poſcentem, vt refutaret quædam, quæ ne intelligere quidē vnquam potuit, ideoq́ꝫ diſſimulauit perpetuò. Hic primùm poſt aliquot in me conuitia fatetur quidem, ſe ad multa nunquam reſpondiſſe, feciſſe autem id exemplo meo, qui nonnunquam dixerim: Omnia perſequi infinitum eſſet. Non vacat omnia perſequi, etc.*] *Sed hoc eſt diſcrimen, quòd ego conuitia, cōtradictiones, cauillos, hæreſes à propoſito alienas ſignificaui me interdum omittere, vt antea etiam monſtratis lectori locis, quibus ita ſum locutus, affirmaui: iſte argumenta, teſtimonia, doctrinam, explicationes, &c. quæ maximè rem continent, in libris meis prætериuit. Imò quod eſt mirabilius etſi*

Fol. 17.

In explicat. cauſar. folio 62.

etſi hoc loco ſcribat ad ſingula ſe propter inſtantiam meam reſpondere velle, quæ priùs ex confutatione Spongiæ præterierat, nihil minus facit. Propoſui enim in explicatione verarum cauſarum quinque vel ſex locos principales confutationis Spongiæ, ad quos nunquam iſte reſpondiſſet; Neque modo vt Lector videre poteſt quicquam reſpondet. Tantùm de eo, quod in explicatione cauſarum primùm dixi, exhorruiſſe ipſum, titulū diſputationum mearum, mirabiliter hîc nugatur. Cùm tamen non ſcripſerim ego, nihil illum de idololatria eiusq́; definitione diſputaſſe, quod ille modo fruſtra confirmat ſe feciſſe: ſed titulum certè ſic compoſuiſſe, ac ſi controuerſia, quæ à me ſuſcepta eſt, potiſſimum eſſet, non de idololatria per ſe, vt ego inſtitui, ſed de Sanctorum inuocatione etc. quod erat iſtis argumentum magis peruulgatum. In explicat. 3. cauſæ veræ. Ibidem. Fol. 18.

IIII.

VIDEAMVS *præterea, quemadmodum abſurda defendat ſua, quæ, vt ne porrò cumularet, tacere, vt antea dixi, cōſtituerat. Oſtendi primo loco eum abſurdiſſimè & contra Iſaiæ vaticinia cenſuiſſe, votorum religionem ab*

In Spong. fol. 12. b. *Iſraëlitis olim vſurpatam fuiſſe legalem cære-moniā, quæ nihil magis ad nos quàm circumci-ſio et ſacrificia Iudæorum pertineat. Nam colēt*
Iſaiæ 19. *eum, inquit Eſaias de Chriſtianis vaticinans, in hoſtiis & muneribus. Et vota vouebunt*
Fol. 20. *Domino.*] *Reſpondet iſte, impropriam eſſe locu-tionem, qua Propheta vocabulis tunc temporis vſitatis ſignificauerit, alia officia Chriſtiani cultus, in quib. minimè eſſent etiā futura vera vota. Iſto modo quæ non poterit probatio eludi, ſi vocabulorum vſum metiaris atque definias opinione tua? At hoſtias eodem in loco non pro-priè intelligit, inquis, non enim futurum præ-dixit, vt pecudes à miniſtris Euāgelicis, ſicut à Leuiticis Deo mactarētur.*] *Quaſi verò Iſaias nihil ꝓpriè locutus ſit, ſi aliquid ſit locutus im-*
In Apologia de ſacrificio cap. 4. *propriè. Quid, quod vt in alio ſcripto cōtra iſtū probaui, hoſtiarum nomine ibi Iſaias propriè ſi-gnificat Sacrificia nō quidem pecudum, ſed cor-poris et ſanguinis Domini, quæ in Eccleſia ſuper altare, de quo illic etiam vaticinatur Iſaias, iu-giter ſiunt? Quod verò à me hîc quæris, quando*
Fol. 20. *factum ſit, quod Iſaias etiam vaticinatus eſt fore, vt quinq; ciuitates in terra Aegypti loq̄-rentur lingua Chanaan? Neſcio quorſum refe-*

ras,

ras, niſi fortè ad fidem infirmãdam vaticiniorum Iſaiæ, ex quibus argumenta duco. Nam vt maximè ea prædictione Propheta aliquid ſignificauerit figuratè & impropriè; nunquid ideo figuratum etiã eſt quod perſpicuè futurum dixit, vt vota Chriſtiani vouerent Domino? Et quid obſtat quod obiicis, in nouo Teſtamento votorum expreſſam mentionem non fieri, cùm res ipſa, quam voti nomine ſignificamus, aliquoties in nouo Teſtamento commemoretur, et expreſſè quoq; Iſaias vota Chriſtianorũ nominauerit vota? Aliud paradoxon iſtius abſurdũ eſſe dixi, quod cùm ex ipſo (quia cultũ omnẽ diuinitus nõ præceptum damnat) quærerem, quo præcepto diuino Iſraëlitæ olim iuſſi fuiſſent illa vota facere, quæ conſtat placuiſſe Deo? Reſpondit, præceptũ tale contineri Dauidicis illis verbis: Vouete et reddite Domino Deo veſtro. Adeò enim nõ tantùm ſui, verùm etiã mei (vt obieci) fuit oblitus, vt nihil ad ea dixerit, quib. ego id cõmentum longè antea in Apologet. refutauerã. Sed de hoc iſte poſtea dicturũ ſe pmittit. Et: Venio, inqt, ad alterũ quod mihi obiicit paradoxũ Hiſpanus, ꝙ nego vita hac functos cognoſcere corda et gemitus hominũ, et proprium eſſe Dei

Fo. . c.

Matth. 19.
1. ad Tim. 5

In explicatione cauſarum fol. 31.

Fol. 21.

incommunicabile, quod nulli creatæ potentiæ tribui poſſit vllo modo, excepto Mariæ Filio, in perſonæ vnitatem à verbo Dei aſſumpto, vnde ſolus dicitur noſſe corda hominum.] Vbi bonus vir miſerabiliter ſanè errorem ſuum propter inſignem turpitudinem atque etiam blaſphemiam tegere ſtudet. Etenim anteà non ſolùm hanc cognitionem cordium negauit Sanctis eo modo, quo eſt propria Dei, nempe vt per naturam intueri poſſint occultos motus animorum, ſed apertè etiã dixit, eos ne munere quidem diuino poſſe iſta cognoſcere. Verba illius hæc ſunt: Non ſolùm enim, inquit, non per naturam, ſed ne quidem munere diuino cognoſcere vllo modo renes & corda hominum poſſunt.] Quæ an non eſt horribilis in omnipotentiam Dei blaſphemia? Certè Scriptura ſacra, vt exemplis aliquot antea docui, perſpicuè ſignificat, ſæpius diuina virtute & beneficio ſanctis hominibus contigiſſe, vt aliena corda perſpicerent. Quomodò ergò munere diuino fieri nullo modo poterit, quod munere diuino factum aliquoties eſt? Sed hic iſte cùm manifeſtè videret, ſe de blaſphemia conuictum, neque rebus vllis ſe prudentibus ſatisfacere

In explicat. cauſarum fol.54.

3. Reg. 14. 4. Reg. 5. Actor. 5. Vide in explic. 4. cauſ. veræ fol. 15. & 16.

poſſe,

poſſe, non ſine ſumma, vt mihi perſuadeo, violentia, leuitate & conuitiis intempeſtiuiſſimis ſimpliciorum ſaltem oculos perſtringere conſtituit. Et: Tenete, inquit, riſum amici, an quis Fol. 22.
hic mentis compotem eſſe Hiſpanum arbitrabitur, &c? Primùm enim nobis diſputatio eſt de mortuis, quos iſti inuocãt, &c. Bonus autem & ſimplex vir Hiſpanus, exempla Prophetarum & Apoſtoli Petri non vita functorum, ſed ſuperſtitum affert, quibus Deus quidpiam reuelauerit. Sed quid hæc ad rem? Quis enim ſtupidus adeò eſt, qui ignoret, quantum viuus diſtet à mortuo?] *An potuit vllo modo iſte clariùs indicare nobis genus ipſum artium fraudulentiſſimarum, quibus prædicantes iſti argumentis, rebus, veritate deſtituti cum Catholicis leuiſſimè pugnant? Tenete, inquit, riſum amici. Opportuniſſimè monuiſti, quoniam neſcio, magis ne ridiculum quàm miſerum ſit iſtud refugium tuum ad viuos. Dic bone prædicans, corporibúſne viuorum, an eorum animis putas diuino munere contigiſſe, vt occulta cordium cernerent? Niſi animo planè careas, animis, inquies. Reſponde præterea, Moriuntúr ne animi etiam eorum Sanctorum, quos tu*

mortuos vocas. Hîc ſanè quid animus tacitè reſpondeat tuus, quicquid lingua dicat, non habeo compertum. Sed ſentias omnino, ſanctorum animos, ſuperſtites in manu DEI *eſſe,*
Marci 12. Sapient. 3. *qui non eſt* DEVS *mortuorum, ſed viuorum. An diuino munere, & quaſi manu Dei concedi modò viuis Sanctorum animis idem non poterit, quod potuit diuino munere iiſdem, quum commercio corporis tenerentur, contingere?*

Fol. 23. *Sed rogas, cui Prophetarum omnes omnium hominũ cogitationes reuelauerit Deus?*] *Primùm, vt ex Diuis quiſpiam precationes ad ſe pro interceſſione ad* DEVM *factas cognoſcat, non neceſſe eſt, vt omnes omnium hominum cogitationes perſpiciat. Satis eſt, ſi cognoſcat eas cogitationes, quæ inuocationem ipſius continent, & eorum hominum, qui ipſum aliquando inuocant; quod tu Herbrande (vt antea tuis verbis docui) aiebas, non modò non per naturam, ſed ne munere quidem diuino Sanctos poſſe. Deinde, ſi virtute diuina fieri poteſt, vt quis aliquot cogitationes occultas cognoſcat, certè nihil impedit quò minus poteſtate* DEI *abſoluta omnes omnium hominum*

num cogitationes peruidere poſſit. Illud enim ſolum repugnantiam per ſe contradictionémque inuoluit, vt creatura per naturam ſuam, ſicut DEVS, *occulta cordium inſpiciat; Non eſt autem per ſe impoſſibile, vt munere diuino, aut aliquas, aut omnes cogitationes hominum occultas percipiat; alioqui ne animæ quidem Chriſti Domini potuiſſet vlla ratione id concedi, cùm fuerit creata. Porrò quonam modo Sancti cernant cogitationes eorum, qui ſe inuocant, vtrum in eſſentia diuina, aut peculiari Dei reuelatione, alia quæſtio eſt. Hoc enim loco controuerſia mihi tecum Herbrande fuit, num poſſint vllo modo Sancti cogitationes eiuſmodi noſſe beneficio diuino; quod tu prorſus non ſine blaſphemia negaſti.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Tertium, inquit, & poſtremum, quod mihi obiicit abſurdum HISPANVS *eſt, cum Scriptura & communi omnium ſenſu pugnans paradoxon, quod dixi Iſraëlitas in deſerto non Apim Aegyptiorum, ſed verum* DEVM *in vitulo ipſorum opinione repræſentatum adoraſſe. Id ſe ex Scriptura & ex Clementis Romani teſtimonio reuiciſſe.*] Fol.24.

Et

Et quidem Herbrande verißimum eſt, hoc me commentum tuum, vel Caluini potius (vt
In Apolog. & confutat. cap. 2. & in diſput. 1. ca. vltimo. *alias dixi) firmis atque perſpicuis Scripturæ ſacræ teſtimoniis reuiciſſe. Eſt enim inter cætera illuſtris admodum illa ſententia D. Stephani,*
Actor. 7. *quum peccatum illud idololatriæ Iſraëliticæ erga fictitios Aegyptiorum Deos ita deſcribit: Auerſi ſunt, inquit, cordibus ſuis* In Ægyptũ,
Exod. 32. *dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos; Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Aegypti, neſcimus quid factum ſit ei: Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabãtur in operibus manuum ſuarum, &c.] Ergò cùm neq; ad hoc,*
Præſertim in diſput. 1. cap. vlt. *neque ad alia teſtimonia, quibus luculenter à me probatum eſt, Iſraëlitas tunc non verum, ſed Aegyptiacum Deum adorauiſſe in vitulo, reſpondeas, non cenſeo mihi repetendam vel confirmandã eſſe huius rei probationem, quam habet alibi Lector. Nam quod de vnico illo te-*
Pſalm. 105. *ſtimonio Dauidis: Fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt glo-*
Fol. 25. *riam ſuam, &c. dicis, improbabile prorſus cõmentum eſt, quod multis in locis aliâs euidenter confutaui; ſcilicet, ideò Prophetam hic pro-*

nun-

nuntiare, illos vitulum adorauiſſe, & non verum Deum, quia ſine præcepto, vel etiam contra præceptum adorauerunt verum Deum in vitulo. Quòd autem argumentaris, Iſraëlitas tunc adorauiſſe in vitulo verum Deum, quoniam non dixerint, cras eſt ſolennitas vituli vel Apis, ſed Domini Iehouah; miror te toties à me prouocatum obſurdeſcere ad id, quod de hoc argumento tuo in Apologetico hunc in modum ſcripſi: Stultum, inquam, eſt valdè ex eo, quòd vitulum Dei nomine affecerint, colligere, illos non habuiſſe vitulum pro Deo.] Sed perſuadere tibi non potes, vel Iſraëlitas, vel vllos Ethnicos, in quibus aliquid rationis eſſet, exiſtimauiſſe, vituli ſimulachrũ aut qdpiam ſimile eſſe Deum. Scripturam ſacram accuſa, quæ (vt aliâs argumentatus ſum) neque tam frequenter, neque tam copiosè & acriter hanc cæcorum hominum ſtultam opinionem exagitaret, ſi nulli fuiſſent vnquam homines vſque adeò ſtulti. Lege denuò, quæ de idololatriæ ſpeciebus & modis olim vſitatis, ac de rationibus huiuſmodi errorum diffusè à me non ſine cauſa, vt tu aliquando putaſti, diſputata ſunt, tunc poteris intelligere, quo colore potuerint

Vide in Apolog. & in cõfut. Spon. cap. 2.

Fol. 25.

Cap. 2.

In 1. diſput. cap. vlt. vbi vide etiam pro hac re teſtimo. Patrum.

In Apolog. cap. 4.

rint homines ita deſipere. Ad extremum, ſi de autoritate librorum Clementis Romani, cuius hoc loco etiam teſtimonio vſus ſum, dubitare non vis, conſilium meum ſequere, quod aliâs etiam tibi dedi, vt nimirum, quæ Franciſcus Turrianus pro iſtorum librorũ autoritate doctiſſimè diſſeruit, expendas. Quanquam ego nõ Clementis tantùm, ſed etiam Hieronymi teſtimonium hîc adhibui. Is enim interpretans locum illum Amos Prophetæ, qui figmẽtum hoc etiam tuum redarguit: Nunquid hoſtias et Sacrificium obtuliſtis mihi in deſerto, *quadraginta annis domus Iſraël? Et portaſtis tabernaculum Moloc veſtro, & imaginem idolorum veſtrorũ, Sydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis,*] *ita inquit: Ex eo tempore, quo aurum in caput vituli transformarunt, dicentes; Hi ſunt Dÿ tui, omnia quæ fecerunt* NON DEO, *ſed* IDOLIS *feciſſe monſtrantur.*] *Verùm hoc tu Herbrande, ſicut & alia, perpetuò diſſimulaſti.*

In Apolog. de ſacrific. Miſſæ ca. 4.

Amos 5. Hierony. in comment. illius loci lib. 2.

V.

DIXI *quoque veriſſimè, & nunc etiam repeto, Scripturæ ſacræ corruptelas ſæpius iſti à me etiam exprobatas defendere nullo*

modo

modo eum potuiſſe. Interpretatus enim eſt pleraque loca verbis & ſententiis planè contrariis per Antitheſin. Vt cùm Apoſtolus inquit, Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo,] iſte ſic expoſuit, vt ſumma interpretationis ſit: Quæ immolant Gentes Deo immolant, non dæmoniis, niſi quòd dæmoniis immolare dicũtur, quia ſine præcepto ſuapte ſponte Deo immolant. 1. Ad Corinth. 10. Vide in Apolog. & confut. c. 2.

Quid autem modo? Repetit eandem interpretationem ſeu commẽtum paradoxiſſimum potiùs. Neque aliter confirmat, niſi quia credibile non ſit, Gentes tam fuiſſe excordes vt dæmoniis humani generis hoſtibus in animo habuerint offerre. Non intelligit mirabilis Theologus modũ alium, quo Dæmoniis Gentes immolarent. Eſto, de induſtria ſcientes & prudentes non voluerint diuinos honores dæmoniis habere: inſipienter certè habuerunt. Nam, vt à nobis eſt diſputatum ſuo loco, illi diuinum cultum adhibere volebant à quo beneficiis quibuſdam, ſimulachrorum interuentu, affici ſe arbitrabantur; is aũtem erat reuera Dæmon, qui miſeros ludificabat. Atque hoc Herbrande illud eſt, quod cùm ipſe Gentes Fol. 27. Cap. 4. Apolog.

caco reprehenſibiliq́ errore ignorarent, Spiritus ſanctus per Prophetas & Apoſtolos ſuos edixit ac docuit, ſcilicet quæ immolant gentes Dæmoniis reuera immolare, quoniam dæmonia erãt ij, quibus honoris gratitudinisq́ cauſa immolare inſtituebant. Quomodo enim Spiritus ſanctus (quod hîc verbis tantùm ſine probatione contendis) perſuaſiſſet ſibi ſententiam illam tuam, quæ planè eſt ſine intellectu; nempè Gentes, quamuis ad vnicum & verum Deum dirigerent ſua ſacrificia, dæmoniis tamen re ipſa ſacrificauiſſe hoc ipſo, quòd ſine præcepto ſacrificauerunt vero Deo? Certè ſacrificium alicui abſque intentione offerentis non offertur. Quomodo igitur Dæmoniis re ipſa deferebantur ea ſacrificia, quæ intentione offerentium, vt ais, neque de induſtria Dæmoniis, neque inſipienter iis, qui reuera dæmonia eſſent, offerebãtur? At Spiritus ſanctus ita iudicabat. Hoc eſt addere ad inſcitiam blaſphemiam. Vt enim aliâs contra te diſputaui, nequaquam Spiritus ſanctus iudicat id eſſe, quod non eſt. Locum autem D. Auguſt. in Pſal. 113. quem hîc obiter attingis, alibi ſic expoſui, vt nihil minus ex eo colligere (quod hic falſariè

Fol. 28. & 29.

In Apolog. & confuta. cap. 2.

videris

videris facere) poſſis quàm idololatriam olim fuiſſe adorare verum Deum in imagine. Sed agit illic Auguſtinus de quorundam idololatria qui diuinos honores deferebant non ipſis ſimulachris, ſed creaturis tamen per ſimulachra. Quam idololatriæ ſpeciem ipſe etiam ſuo loco ex ipſius D. Auguſtini ſententia recenſui, & expoſui. In Apolog. & confutat. c.7. In Apolog. c.4.

Similis illa iſtius corruptela fuit, quòd ſententiam Dauidis: Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan] adeò peruersè interpretatus eſt, vt funeſta hæc parricidaliáque ſacrificia dixerit oblata fuiſſe non dæmoniis & ſculptilibus, ſed vero Deo, eatenusq; tantùm Dauidem dicere, oblata fuiſſe dæmoniis & ſculptilibus, quatenus vero Deo fuerunt ſine ipſius præcepto oblata. Quòd & modò repetit. Sed iam oſtenſum eſt, quàm ſit hæc interpretatio vel fictio potius cum ſcriptura pugnans & ſine intellectu. Et aliàs reſpondi ad locum ex Deuteron. vnde iſte modò confirmare id ſomnium perperam ſtudet, diſſimulata priore explicatione mea. Pſal. 105. Fol. 12. & 28. Fol. 18. & 29. In confutat. Spong. ca. 2.

Hierem. 2. *Sic etiam Hieremiæ locum: Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dÿ tui Iuda, &c.] ab iſto corruptum eſſe, manifeſtiſsimè conuici. Quoniam Deos illos interpretatus ſit non*
Hierem. 11. *Deos Gentium, Baalin, &c. ſicut ipſe Propheta exponit, ſed altaria, quibus vero Deo Iſraël variis in locis contra Dei præceptum ſacrificaretur.*
Fol. 30. *Sed ait Herbrandus, mentiri me hoc loco, propoſitisq; ad perſtringendum Lectoris oculos aliquibus verbis ſuis, vbi hanc interpretationem non poſuit, ſilentio præterit verba, quibus ego monſtraui, ſic ipſum expoſuiſſe hunc Hieremiæ locum: Atque etiam illa, quibus eandem interpretationem ſuam eſſe agnouit & repetiuit.*
Num. 14. & 15. *Etenim in diſputatione de idololatria (quē locum ego citaui, & iſte nunc aſtutè prætermittit) ita ſcripſit: Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dÿ tui Iuda; quia, inquit, in his omnibus & ſingulis altaria extruxerāt, in quibus immolarent Domino Deo Iſraël; hos ergò cultus omnes & ſingulos præter verbum Dei inſtitutos, etiamſi in honorem veri Dei exhiberent, Prophetæ tamen, non animo & ſcopo eorum conſideratis, Deos nominant alienos.] In ſpongia deinde hanc eandem interpretationem*

tationem ſuam his verbis agnoſcit: Locum Hierem. 2. de Diis alienis à ſe allegatum, Hiſpanus dicit, à me corruptum & deprauatum: ideóque ſacrilegum me vocat & antiprophetam; quòd de cultibus & aliis, quibus paſſim Deum verum coluerint, ſed non in loco diuinitus deſtinato, ſim interpretatus] *Et paucis interpoſitis affirmat inter cætera, tales cultus idola & Deos alienos à Hieremia nominari*] *Hæc verba tua Herbrande, quæ in diſputationibus tuis, quas hîc dicis non à tineis corrodi, ſed in hominum manibus verſari, extant, cur hoc loco diſſimulaſti? Dices: Vt poſſem dicere te mentiri, mihíque ſic conuicianti Lector aliquis ſaltem ad tempus aſſentiretur, donec ego in manifeſto mendatio deprehenderer.*

Quæ verò ad confirmationem eius corruptelæ obiter hìc attingis, & repetis, non debeo iterum hoc loco diluere; quum tu taceas, quid à me ſit aliâs de his reſponſum, & ex Scriptura ſacra diſputatum. Denique locum Apoſtoli: Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo, quicquid iam tergiuerſeris, veriſſimè etiam ſcripſi, ad falſam cogitationem de vero Deo, cum qua nihil in mundo congruat, te retuliſſe. Quod tu

Cap. 2. Apolog. & confutat.

1. ad Cor. 8.

iam negas, quoniam agnouiſti corruptelam. Vt enim ipſe etiam recitas, iſta fuerunt tua verba: Cùm aliter Deus q̃ iuxta verbi ſui præſcriptũ colitur, non Deus verus, ſed alienus eſt & idolum à cæco humano corde excogitatum, quod talem Deum ſibi fingit, cùm huiuſmodi non ſit, neque hoc modo affectus, neque hac ratione coli ſe volens; ſicut Apoſtolus pronuntiat: Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo, quod nimirum colitur ab idololatris, quouis tempore & à quibuſcunq; tandem populis.] Tum quod tu callidè nunc diſsimulas, continenter nullis verbis interpoſitis ita ſubiunxiſti: Sicut ſcitè admodũ & appoſitiſsimè D. Aug. ſup verba Ioſuæ, Auferte Deos alienos de medio veſtri, inquit: Propheta S. Ioſua in cordibus eorum eſſe cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo; *Et ipſas admonebat auferri. Quiſquis enim talẽ cogitat Deũ, qualis non eſt Deus, alienum Deum vtique & falſum in cogitatione portat.] Age nunc Herbrande, quoniam ex me quæris, vbi idolum illud de quo Apoſtolus, eſſe cenſueris cogitationes falſas de vero Deo; Interrogabo & ego te vnum verbũ. Putaſtine hoc loco, idem eſſe idolũ illud, de quo Apoſtolus loquitur, & Deos illos alienos apud*

In diſput. de idol. nu. 17.

Ibidem nu. 18.

Ioſuę 24.

Aug. ſuper Ioſu. q. 29.

fol. 31.

apud Ioſue; quos Auguſt: interpretatur cogitationes falſas de Deo, an non putaſti? Si putaſti; verè igitur ego eam tibi interpretationem adſcripſi. Atque etiam corrupiſti Apoſtoli locum, abſurdéque ad illum eam Auguſtini doctrinam & ſententiam Ioſue accommodaſti. Nam Apoſtolus de idolo loquitur (ſicut antea ſum argumentatus) quatenus illi ſolitæ erant immolari eſcæ, atque adeò vt erat creatura quæpiam extra mentem & cogitationem hominis, quæ falsò putaretur talis, qualis non eſſet, nimirum Deus. Ioſue autem de Diis alienis loquitur, quatenus erant in humano corde (vt Auguſtinus interpretatur), vbi aliud eſſe non habent, præterquam eſſe (voluiſti enim, vt præfatus es in ſcripto tuo, quod Dialecticis dedicas, agere dialecticè) ipſarum cogitationum falſarum, quibus putabantur creaturæ Deus. Sin verò non idem putaſti idolum, de quo Apoſtolus loquitur, & Deos alienos, de quibus loquuntur Ioſua & Auguſtinus, quorſum interpretationẽ illius idoli tuam confirmaſti loco Auguſtini? Et quid aliud ſibi volunt illa verba tua: Non Deus verus, ſed alienus eſt, & idolum à cæco corde excogitatum &c?] An non hîc cogitationem falſam, quæ ab humana mẽte formatur & fin-

 gitur,

gitur, & intellixiſti? Ergo nihil ego de te tuis corruptelis commentus ſum, ſed tu vaniſſima commenta tua, poſtquam eorum abſurditatem agnoſcis, non libenter confiteris.

V I.

PRÆTEREA *oſtendi, iſtum ſecum aliquoties pugnaſſe, neque potuiſſe contradictiones ſibi obiectas expedire. Nam primum, Auguſtini quendam locum ſic interpretatus eſt, vt cùm dixerit eum loqui de adiaphoris quibuſdam, ſubiunxerit tamen, ea ipſa adiaphora maximè eſſe verbo Dei præcepta. Sic enim habent ipſius verba, quæ modò fideliter non recitat, ne contradictionem agnoſcere cogatur: Auguſtinus, ait, dum multa facienda docet, non iubente lege ſed libera charitate, quæq́; Deo ſint gratiora in officiis noſtris, de adiaphoris ibidem loquitur. Ex cap. 14. ad Roma: De vſu libertatis in cibo; vbi* Ex caritate *propter infirmos abſtinendum docet. Et ipſa tamen caritatis opera nequaquam libera ſunt, vt liceat ea vel facere vel omittere, ſed maximè verbo Dei ſunt præcepta, ſicut & ſcandala ſunt cauenda ne offendantur infirmi.*] *An non hic illa ipſa maximè verbo Dei præcepta eſſe indicas, quæ nō iubente lege, ſed libera caritate*

Lib. 1. de adulter. coniug. c. 14.

Fol. 11. b Spong.

ſecun-

ſecundùm Auguſtinum facienda, adeoq́; adiaphora eſſe cenſes, vt abſtinentiam in cibo ex caritate propter infirmos, &c?

Item in Spongia: vota, ait, ita Spontanei fuerunt cultus, vt nemo ea facere cogeretur lege, ſed liberum erat vouere vel non.] *Poſtea dupliciter ſibi contradixit. Primò quoniam ſcripſit, vota illa fuiſſe legales cæremonias: omnes autem cæremonias legales, neceſſe eſt vt iſte cenſeat, fuiſſe lege præſcriptas, non tantùm quo admodum, ſcilicet vt ita vel ita fierent, ſed etiam abſolutè vt omnino fierent. Alioqui ſi quo admodum tantùm, vt nunc ſignificat, cæremonias illas votorum, quas dicit, exiſtimat fuiſſe imperatas, nō autem abſolutè, vt ſcilicet fierent, erit iam aliquis cultus, qui cùm abſolutè præceptus non fuerit, Deo tamen non tantùm quoad modum, ſed etiam abſolutè quoad exercitium (vt ita dicam) eius placuerit. Ita non poterit iſte cum ſuis ampliùs illud nobis obiicere: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino Deo tuo &c. Quanquam & alias plures rationes ſæpius expoſui, cur ex hoc loco colligi nullo modo debeat, eos duntaxat cultus Deo gratos eſſe, quos ipſe imperat.*

Fol. 12 a.
Fol. 12 b.
Fol. 35.
Deuter. 12.
In Apolog. & Confut. Spong. c. 2.

Secundò apertius iſte contradixit ſibi, cùm in explicatione cauſarum palàm affirmauit, iuſſos homines fuiſſe ea vota, quæ Deus habuit rata, facere diuino præcepto, & quidem ſpeciali, quod verbis illis Dauidicis contineretur: Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Attendat autem Lector quomodo nunc iſte, dum ſe vult expedire, induat. Fingit, cùm nulbi id verbo ſignificaſſet priùs, non de eiuſdem generis votis ſe fuiſſe locutum, ſed vota cæremonialia ſe dixiſſe nulla lege fuiſſe præſcripta. Cùm autem contrà affirmauit, vota fuiſſe præcepta illis verbis: Vouete & reddite &c, vota ſe intellexiſſe moralia, de quibus locutus fuerit in explicatione cauſarum, cùm dixit: Quid enim vota iſta fuêre, quæ Deo vouerunt & reddiderunt, niſi gratitudinis propter percepta à Deo beneficia ſignificatio? Hæc autem an non eſt à Deo præcepta?] Primùm neque cùm in Spongia dixit, *vota non fuiſſe diuinitus præcepta, ſed planè libera, de aliquibus tantum votis, ſed vniuersè de votis locutus eſt, neque quicquam in hoc altero loco explicationis cauſarum, quem recitaui, dicit, quod non in cuiuſque generis vota quadret. Nam & vota etiam, quæ iſte cære-*

In explicat. cauſ. fol. 31.

Fol. 35. & 36.

Fol. 30.

cæremonialia appellat, videlicet boum & ouiũ, ſignificatio gratitudinis, propter percepta à Deo beneficia erant. Et cùm ego in Apologetico vniuersè obieciſſem, vota, quæcunq; facta fuerunt, licet imperata non eſſent, placuiſſe Deo, ſimpliciter etiam & vniuersè iſte reſpondit; vota veteris Teſtamenti ſpontaneos quidem cultus fuiſſe, ſed cæremoniales, qui nihil ideò pertineant ad nos. Deinde, quæ ſunt iſta vota moralia, quæ iam dicis ſpeciali præcepto imperata fuiſſe? Cedo, quæ nam illorum eſt materia, quam omnes, etiam Chriſtiani (ſiquidem morali præcepto, opiniõe tua, præcipitur) vouere teneantur? Cuius, inquam, rei & promiſſione primùm, & redditione poſtea ſignificationem illam gratitudinis propter percepta à Deo beneficia præbere tenemur, ſpeciali, vt ais, illo præcepto: Vouete & reddite? Si nulla prorſus huiuſmodi vota ſunt, ad quæ nuncupanda præcepto morali aſtringamur, cur ea tu Herbrande temerè comminiſceris? Aut ſi ſunt, primùm oſtẽde: deinde te ipſum, vt iampridem monui, examina, vtrum aliquam omnino promiſſionem ac votum in vita Deo feceris, adimpleueriſq; proinde præceptum hoc morale vouendi:

 Neque

Neque enim ignorare potes, præcepta moralia vniuerſa ad Chriſtianos cumprimis etiam pertinere. Tum ſi inueneris, nullum te votum feciſſe; vel ſententiam muta, intelligeq́ue, quamuis præceptum ſit reddendi votum, vouendi tamen non præceptum, ſed conſilium dediſſe Dominum per Dauidem; aut æquo animo patere, vt exiſtimemus, in peccato te contra conſcientiam violatæ legis (ſicut loqui ſoletis) hærere, ac proinde ſecundum doctrinam veſtram & fide & gratia carere, & te Hellbrandt eſſe, aut futurum certè, niſi in tempore reſipiſcas.

In Spong. fol. 4. *Porrò vt antea obieci, iam hæreſes & falſa dogmata aliud peccatum ab idololatria propriè dicta eſſe fatetur, cùm apertè inquit: Concedo omnia (è quibus vnum eſt, aliud peccatum eſſe hæreſes, aliud idololatriam) neque ego eadem eſſe illa dixi,] iam cogitationes falſas de Deo, & quæcunque dogmata veritati contraria idololatriam propriè eſſe contendit, cùm recitato teſtimonio Auguſt. vbi cogitationes falſas de Deo metaphoricè appellat Deos alienos, ita ſubiungit: Quia verò illuſtrius eſt* In Spong. fol. 16. b. *hoc teſtimonium, quàm vt negare poſſit Hiſpanus, eludere conatur cauillatiuncula, quod non pro-*

propriè ſit idololatria, & ſic propriè dicta, ſed per tropum ideoq́ ineptiſſimum eſſe, quòd ad veram idololatriam referam. Sed vnde nobis nuper prodiit homo iſte nouus tantæ authoritatis Ariſtarchus, vt quidquid dicat, Sanctum ſit eiq́ fides adhibenda.] *Huius antilogiæ nunc iſtum adeò puduit, vt callidè ſuo more diſſimulans hæc ſua verba, quæ recitaui, dicat ſe non ex ſententia propria ſcripſiſſe, cogitationes falſas de Deo eſſe veram idololatriam, ſed tantùm ex ſententia D. Hieronymi: Cùm tamen Hieronymi teſtimonium (vbi tamen ille non niſi metaphoricè falſa dogmata idololatriam eſſe cenſet) ad hoc ipſum confirmandum ſcilicet veram & propriè dictam idololatriam eſſe cogitationes falſas de Deo ibi adiunxerit, inquiens; cum Auguſtino & Scriptura conſentit Hieronymus*] *ſuisq́ ad finem verbis inter alia ex Hieronymi teſtimonio colligit, dogmata & opiniones veritati contrarias non per tropum, ſed propriè eſſe idololatriam, & quidem gentium.*] *Tum ibidem ſic repetit: Quòd verò Hiſpanus cogitationes falſas de Deo eſſe idololatriam, hancq́ verſari, circa cultum, quo Deus ſit afficiendus, negat, inſignem impe-*

Fol. 36.

In Spong. f. 1. 16.b.

Ibi fol. 17.a.

imperitiam prodit.] *Conferat nunc Lector hæc cum eo, quod iam iſte ſcripſit: Falſum eſt, me contendere quacunque falſa dogmata veritati contraria idololatriam eſſe propriè dictam, &c.*] *atque etiam notet aſtutiam, quòd præteriuerit verba illa ſua quibus id, vt docui, apertè contendit, & miſereatur mecum iſtius.*

VII.

DETERIVS *etiam fuiſſe dixi, quòd allegauit quædam mala fide, nec falſi crimen à me ſibi obiectum diluere potuit. Vt quòd Eckius ſcripſerit, inuocationem Sanctorum non tantùm mandato, ſed etiam verbo Dei carere; atque ita habere ipſius verba. quam ob cauſam dixi eum crimen crimine cumulare. Nam lector, inquam, hæc verba apud Eckium inueniet: Explicitè non eſt præcepta Sanctorum inuocatio in ſacris literis.*] *Item iſta: Noluit ergo Spiritus ſanctus expreſsis Scripturis docere inuocationem Sanctorum.*] *Sed inuocationem Sanctorum & verbo & mandato Dei carere, quæ tu Herbrande dicis eſſe verba Eckij, nō inueniet: atq; ita deprehendet, quantus ſis amicus veritatis. Hactenus ego: Iſte autem modò*

In Spong. fol. 47. a.

In loco de veneratione Sanctorum ſub finem.

quo-

quoniam ſe non poſſe hoc loco veritate & re ſatisfacere vidit, garrulitate multa & conuitiis pagellas replet. A me, inquit, falſarij crimen admiſſum nemo iudicabit, cùm nō verba Eckij ſed ſententiam non mala, ſed bona fide retulerim.] *Atqui Herbrande, quod nunc miſerabiliter tuo more diſſimulas, expreſſè dixiſti; Inuocationem Sanctorum & verbo & mandato Dei carere Eckij* ESSE VERBA.] *Hîc certè ſi tui eſſe vellem Herbrande ſimilis, & verba & charta me deficerēt ad te pro merito exagitandum. Sed conſtitui tantùm ea dicere, ex quibus ſimpliciter tuæ fraudes intelligi à Lectore queant. Ideò ad illud progredior, quod in libro tuo ſequitur. Contendis enim, me potius aliquid affinxiſſe Eckio, cùm ob eam cauſam negaui illum dicere, Sanctorum inuocationem verbo Dei carere, quia intellexerit, cùm eſſet eruditus, verbū Dei latiùs patere quàm Scripturas expreſſas. Hoc quoniam dixi, ais, aſſeruiſſe me, inuocationem Sanctorum ex verbo Dei ab Eckio in illo loco eſſe probatā. Hoc Herbrande figmentum eſt tuum. Ego enim, verbo Dei carere Sanctorum inuocationem, negaui Eckium dixiſſe; rationemq́ reddidi, quia cùm intel-*

Fol. 39.

Fol. 47. a in Spong.

Fol. 40. & 41.

Vide in Apoleg. & cõfut. Spong ca. 6 ſub finem.

intelligeret, verbum Dei latiùs patere quàm expreſſas Scripturas, non ideò negauiſſe cenſendus eſt, carere Sanctorum inuocationẽ verbo Dei, quia dixerit carere expreſſis Scripturis. Probauiſſe autem Eckium inuocationem Sanctorum illic ex verbo Dei, nõ dixi. Quanquam & hoc veriſſimè potuiſſem dicere, in eo ipſo loco affirmare Eckium, inuocationem Sanctorum niti Dei doctrina & verbo, vbi negat Scripturis eam probari expreſſis: Ac proinde ibidem perſpicuè ſignificauiſſe, verbum Dei latiùs patere quàm Scripturam expreſſam; id, quod dixi ipſum, quoniam eruditus fuerit, intellexiſſe.

Affirmat potiùs Eckius verbo Dei niti Sanctorum inuocationem.

Atque vt magis Herbrande cæcitatem tuam admireris, ex illis ipſis Eckij verbis id cõfirmabo, quæ tu recitaſti, vt contra me probares, non id ſenſiſſe Eckium, videlicet, latiùs quàm Scripturam expreſſam patere verbum Dei, quo proinde Sanctorum inuocatio, ſententia etiam Eckij, nitatur. Hæc enim ſunt, vt ipſe etiã recitas, eius verba: Noluit ergò Spiritus S. expreſſis Scripturis docere venerationem Sãctorũ, ſed eiuſmodi firmatos in fide DOCVIT *per miracula & Sanctorum auxilia, fuſis ad*

illos precibus illos venerandos.] *Audis Herbrande ſententia & confeſſione Eckij, Spiritum ſanctum Eccleſiam docuiſſe, Sanctos fuſis ad eos precibus eſſe venerandos. Audis Spiritum ſanctum non ſolùm expreſſis Scripturis, ſed inſpiratione, ſuggeſtione, ſicut Chriſtus facturum illum promiſerat, Eccleſiam ſuam docere, doctrinamq́; ſuam auxiliis & miraculis confirmare. Audis denique (quod eſt conſequens) Verbum Dei, ſententia Eckij, latiùs patere quàm expreſſas Scripturas: Siquidem cenſuit hic auctor, abſque Scripturis expreſſis Spiritum ſanctum Diuorum inuocationem docuiſſe, vtique non ſilentem, ſed loquentem Eccleſiæ ſuæ diuino ſuo verbo. Hoc cùm ita ſit, qua fronte vos prædicantes dictitare audetis, Sanctorum inuocatiōem verbo Dei, autore Eckio, carere.* Ioan. 14.

Videamus porrò, quomodo illud alterū falſi crimen diluas, quod obieci tibi, nempe Concil. Trident. ponere, idem eſſe Euchariſtiam & Chriſtum; quum tantum definiat, in Euchariſtia eſſe præſentem Chriſtum. Reſpondeo, inquis, primùm non dixi, Concilium id ponere, ſed Mentiri, *Hiſpane,* Conciliabulum, *quod* Fol. 92.

repe-

repeto.] *Vident omnes, mihi certamen eſſe cum homine, adeò conuitiis maledicentiaq́; aſſueto, & honeſtatis etiam inimico, vt ne ferre quidem poſſit, ſententiam ſuam recitari verbis honeſtis. Sed contumeliam iſtius relinquamus vlciſcendam Deo, audiamusq́; cur eam ſententiam ſeu mendacium aſcripſerit Sacroſanctò*
Fol. 42. *Concilio. Reſpexi, inquit, non ad verba, quæ nulla citaui, ſed ad ſententiam illius. Etſi enim non totidem & iiſdem verbis vtatur illud: Vnum & idem ſunt Euchariſtia & Chriſtus: tamen hæc mens eſt illius & ſententia, quæ ex verbis colligitur, cùm annihilari ſubſtantiam panis & vini dicunt in Euchariſtia, & nihil remanere in illa niſi Chriſtum.*] *Hoc eſt falſi crimen, Herbrande, non diluere, ſed alios vt conſueuiſti crimine falſi cumulare. Nuſquam enim Sacroſancta Synodus ſtatuit, nihil in Euchariſtia manere niſi Chriſtum. Nam cenſet, quod euidentiſſimum eſt, manere panis et vini*
Fol. 43. *accidentia. Sed inquis inferiùs: Cùm accidentia non niſi in ſubiecto ſint, & illorum eſſe ſit ineſſe: nullum verò ſubiectum hìc manere contendunt iſti naui dogmatiſtæ: ideò nec accidentia adeſſe poſſunt.*] *Et hoc etiã loco poterit tibi*

dedi-

dedicatio libri tui prodeſſe. Docebunt enim te Colloga tui Philoſophi Tubingenſes, ſi ſapiunt, quod ſit inter inhærentiam actualem & aptitudinalem (vt vocant) diſcrimen; Et quemadmodum accidentium eſſe non ſit ineſſe actu ſed aptitudine, id eſt, eorum eſſentiam non eſſe, vt actu in ſubiecto inſint, ſed vt ineſſe poſſint. Quò fit, vt non ideo in Euchariſtia nulla accidentia ſint, quoniam in nullo ſubiecto ibi actu inſint: ſicut tu nimis ſimpliciter argumentaris. Quomodo autem nihilominus Sacramentum Euchariſtiæ propter Chriſtum in eo mirabiliter exiſtentem rectiſſimè pro more Eccleſiæ Catholicæ, vt ſacroſancta Synodus definit, afficiatur cultu latriæ, docui refutatis argumentis veſtris in alio loco. Neque verò vt obiter hoc loco tu fingis, ex conſuetudine tantum confirmauit ſacroſancta Synodus hoc dogma, ſed hanc Eccleſiæ conſuetudinem tanquam diuinis literis conſentaneam decreto & definitione comprobauit.

Vide in Apolog. & cõfut. Spong. cap. 5.

Fol. 42.

Item obieci, mala fide ſcripſiſſe iſtum, Auguſtini verba manifeſta eſſe, genus quoddam idoli fuiſſe, quòd extra Dei tabernaculum aliquid ſimile, vbi Deus coleretur, fecerit Gedeõ.] Hoc enim, inquam, peccatum fuiſſe, dixit quidem

q. 41. in lib. iudic.

abſolutè Auguſtinus, non autem fuiſſe idololatriam. Opponit autem nunc mihi ipſum Augu-
Fol.44. *ſtini locum, vbi inter cætera ſic dicit: Quia & hoc quoddam genus idoli quodammodo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manufactum pro Deo coleretur.*] *Verùm hic non dicit Auguſtinus, genus quoddam idoli fuiſſe, quòd extra Dei tabernaculum aliquid ſimile,* VBI DEVS *coleretur fecerit Gedeon. Quæ iſte falſariè dixerat eſſe manifeſta verba Auguſtini. Sed ait, genus quoddam idoli fuiſſe, quòd extra Dei tabernaculum quodlibet* Manufactum *pro Deo coleretur. Multum autem intereſt inter cultum veri Dei in Ephod (hanc enim veſtem & ſimilia ornamenta intellexit Auguſtinus quũ dixit, feciſſe Gedeon* aliquid ſimile *&c.) extra tabernaculum; & cultum ſimiliter extra tabernaculum alicuius manu facti pro Deo. Hunc cultum rectè dixit Auguſtinus genus quoddam idoli eſſe; ſi intelligamus, quemadmodum ibi vno modo exponit, Ephod, id eſt, veſtem illam auream tanquam idolum quoddam inſipienter fuiſſe à populo adoratam. Illum autem alterum cultum veri Dei extra tabernaculum, ſi ſecundum aliã*

expoſi-

expoſitionem Auguſtini intelligamus, ideo tantùm fuiſſe peccatum, quòd extra tabernaculum Deus coleretur, minimè dicit Auguſtinus fuiſſe genus quoddam idoli; ſicut mala fide dixit Herbrandus habere ipſius verba; ſed dixit abſolutè eſſe peccatum. Ita enim ſecundum hanc poſteriorem interpretationem illius loci Iudicum Iudi. 8. *Auguſtinus loquitur: Vt hoc ſit* Peccatum *Gedeon, quòd extra Dei tabernaculum fecerit, aliquid ſimile, vbi coleretur Deus, non quod ſolido auro velut ad adorandum conſtituerit Ephod.*] *Ex quibus poſtremis verbis apparet id, quod aliâs ex ipſo Auguſtini loco declaraui: duobus modis ab Auguſtino ita fuiſſe peccatum illud Gedeon & populi expoſitum, vt vno modo dixerit fuiſſe idololatriam; ſi videlicet intelligamus ipſi Ephod fuiſſe adorationem adhibitam; alio autem modo non item, ſi nimirum ideo ſolùm peccatum eſt quoniam contra diuinum præceptũ coleretur Deus in Ephod & aliis cæremoniis extra tabernaculum. Neque obſtat quod ais, Auguſtinum, cùm de Gedeon dicit: Non quod ſolido auro velut ad adorãdum conſtituit Ephod; de animo & conſilio Gedeonis loqui, quod etſi bona fecerit intentione, tamen*

Vide in Apolog. & confut. Spong. cap. 2.

Fol. 45.

peccatum fuerit ab ipſo.] *Nihil hîc de bona intentione Auguſtinus dicit. Sed exponit aliter vt docui, quomodo potuerit peccare Gedeon hôc ſolô quòd extra tabernaculum voluerit coli Deum, licet non proſtituerit Ephod ad idololatriam.*

Libr. de hæreſi. 7. *Fuit etiam illud non bonæ fidei, quod ſcripſit, genus ipſum venerationis imaginum ab Auguſtino fuiſſe inter hæreſes numeratum. Cùm ille, inquam, tantùm inter hæreſes commemorarit priuatam in hoc genere ſuperſtitionem cuiuſdam Marcellinæ & carpocratinorum.* Fol. 45. & 46. *Hoc iſte perinde intellexit ac ſi voluiſſem Eccleſiæ conſuetudinē imagines venerandi ab hæreſis nota vendicare, non, quia differat à peculiari illo modo venerandi imagines magico & idololatrico, quem vſurparunt carpocratiani & Marcellina; ſed quia hanc ipſam Eccleſiæ conſuetudinem & modum venerandi imagines in ſola Marcellina & carpocratianis damnauerit Auguſtinus, non in nobis, qui ſumus plures quàm illi. Huc omnia ſpectant, quæ leuiſſimè iſte hoc loco contra nos nugatur. Vt* Fol. 46. *quod ait: Commonefacit me Hiſpanus reſponſi illius pyratæ cuiuſdam ab Alexandro capti,*

quem

quem,cùm interrogaſſet, Et quid tibi fecit mare,quòd illud infeſtum habes? reſpondiſſe perhibetur: Et quid tibi orbis terrarum? An verò quia ego exiguo nauigio id facio pyrata? Tu autem quia claſſe imperator diceris? Quàm igitur iniquè, ait iſte, comparatum eſt,quod cùm duo idem faciunt non ſit idem?] *Abeunt in fumum omnes iſtæ, & ſimiles iſtius nugæ. Non enim nos quia plures quàm Marcellina & Carpocratiani ſumus Auguſtini cenſura non comprehendimur,vt tu me dicere vel ex ignorantia & ruditate putaſti, vel ex malicia interpretatus es: ſed quia longè aliter quàm Marcellina & Carprocatiani imagines veneramur. Illi enim imagines non tantùm Chriſti & Pauli,ſed etiam, quod tu taces, Homeri & Pytagoræ, more planè Ethnico, Magico & Idololatrico adorabant,vt partim ex Auguſtino,partim ex Epiphanio & Irenæo conſtat: Nos imagines Chriſti ac ſanctorum tantùm & conuenienti honore, & conuenienti modo afficimus propter prototypum, vt difusè probaui dilutis argumentulis veſtris in alio loco.*

Denique falſi crimine minimè illud etiam vacauit, quod ſcripſit, Auguſtinum in eo loco

Aug. hæreti.7.
Epiph. Tõ. 2.lib.2.contra hæreſes. hæreti.27.
Iren.lib.1. cap.24.
Vide in Apolog. noſtro cap.7.

Eccleſiæ conſuetudinem venerandi reliquias arguere, vbi vniuerſales Eccleſiæ conſuetudines, qualis hæc proculdubio eſt, maximè commendat; ſicut antè obieci. Reſpondet autem, errorem fuiſſe typographicum, quo pro epiſtola Auguſtini 119. aſſignata fuit epiſtola 118. Vult autem inſtitutũ hoc venerandi reliquias fuiſſe
Fol. 47. & ſeq. *ab Auguſtino in epiſtola illa 119. generali illa clauſula comprehenſum atque adeò taxatum: Multa, inquit Auguſtinus, huiuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda liberius*
Fol. 88. *improbare non audeo.*] *Inter* huiuſmodi, *inquit modò Herbrandus, dixi etiam, tanquam ſub genere, reliquiarum veneratione͂ comprehendi.*] *Atquì Herbrãde nemo tibi hoc dicenti fidem adhibiturus eſt, ſi Auguſtinum audierit antecedentibus & conſequẽtibus verbis, (quæ tu hæreticorũ more præteriuiſti,) cuius generis ſint illa* huiuſmodi *diſertè explicantem. Ita enim locus integrè habet: Quod autem, inquit Auguſtinus, inſtituitur præter conſuetudinem, vt quaſi obſeruatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum, etiãſi multa* Huiuſmodi *propter nonnullarum vel ſanctarum vel tur-*

bulentarum perſonarum ſcandala deuitanda liberius improbare non audeo: Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in diuinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur; Et tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, vt grauius corripiatur qui per octauas ſuas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaque TALIA, *quæ neque ſanctarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur (arrige aures Lutherane)* nec conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ ROBORATA ſunt, *ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquã inueniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt; vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo.*] *Iam ne intelligis Herbrande, cuius generis ſint illa* HVIVSMODI; *Et illa*, TALIA, *quæ Auguſtinus non approbat & reſecãda putat? nimirum quæ præter cõſuetudinem diuerſis diuerſorum locorum moribus innumerabiliter variantur, neque habent cauſam inſtitutionis ſuæ: quæque neque ſanctarum ſcripturarum auctoritate;*

neque Conciliis Epiſcoporum; neque conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt. Age huiuſmodi ne tibi Eccleſiæ inſtitutum imagines venerandi videtur? Aut ex illis TALIBVS *&* HVIVSMODI, *de quibus Auguſtinus, cultus hic erat, quando parens veſter Lutherus cœpit in Eccleſia oppugnare ipſum? Certè res hæc eſt, & erat vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine per cunctum orbem roborata. Quomodo igitur tu falſi crimen effugies, qui Auguſtinum dixeris earum rerum genere, quæ vniuerſali conſuetudine roboratæ non ſunt, comprehendiſſe rem vniuerſali conſuetudine roboratam?*
Fol. 47. & 49. *Sed Auguſtinus, inquis, alibi damnat venerationem reliquiarum. Primùm ex loco iam recitato certiſſimè cõſtat, Auguſtinum nunquam damnauiſſe venerationem reliquiarum vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine roboratam, ſicut vos faſcinati à Luthero damnatis. Itaque extra controuerſiam eſt, venerationem reliquiarum, quam vos damnatis, non eſſe ex illis* TALIBVS *&* HVIVSMODI, *quæ, quia carent etiã vniuerſalis conſuetudinis auctoritate, atque item cauſa, damnantur ab Auguſtino. Deinde figmentum vaniſſimum eſt, fuiſſe vnquam ta-*

lem venerationem reliquiarum, qualem Eccleſia temporibus his vſurpat, ab Auguſtino damnatam, antequam vniuerſali conſuetudine roboraretur. Videamus enim quid in locis à te citatis dicit: O, inqt, ſerui Dei, milites Chriſti, itáne diſsimulatis callidiſsimi hoſtis inſidias, qui tam multos hypocritas, ſub habitu Monachi, vſqeuquaque diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alij membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant, &c. & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis.] *Hîc certè Auguſtinus non reliquiarum cultum per ſe, ſed eorum vitia, qui illo abuterentur ad quæſtum, redarguit. Et idem, inquis, Auguſtinus alibi: Non ſit nobis religio cultus mortuorum. Quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, vt tales quærant honores: ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminãte lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes.* HONORANDI *ergò ſunt, propter imitationem, non adorandi propter religionem.*] *Talpa cæcior es, ſi non vides minimè in vniuerſum vetare hoc loco Auguſtinũ, quo minus veneratio*

Lib. de opere Monachorum, cap. 28.

Lib. de vera relig. ca. 54.

& honor adhibeatur piis, qui ſunt vita defuncti. Affirmat enim diſſertè HONORANDOS *eſſe. Quid ergò prohibet? Nimirum, ne adorentur propter religionem, hoc eſt, ne religionis cultus, qui ſoli Deo deferendus eſt, ipſis accommodetur. Ab hoc errore Ethnicorum, quem cum aliis ibi Auguſtinus peroratione libri recenſet & damnat, vult veræ religioni, hoc eſt, Chriſtianæ addictos homines deterrere. Sicut antecedentibus verbis ibi etiam dicit: Non ſit nobis religio cultus beſtiarũ, &c.] Et ſequentibus etiam: Non ſit nobis religio cultus dæmonum. Et, Non ſit nobis religio terrarum cultus & aquarum, &c.] Latriam igitur quam & hominibus & pecudibus & inanimis rebus falſa religione Gentes adhibebant, vult Auguſtinus ne deferamus ſanctis etiã hominibus, qui è vita piè exceſſerũt. Quæ cùm ita ſint, nihil hoc loco attuliſti Herbrande quo doceres nos, errorem tantùm Typographicum fuiſſe commiſſum in illius Auguſtiniani loci allegatione: imò conſtat ex dictis crimẽ etiam falſi fuiſſe ex officina tua.*

VIII.

HIC *cùm plures indicauiſſem locos, quibus*

ita

ita cum veritate pugnaſſes,(vito enim quantum poſſum mētiendi verbum) vt in gratiam cum illa redire, niſi culpam agnoſceres, non poſſes; de vno tantummodo voluiſti dicere, vt ex eo de reliquis Lector iudicium faceret. Ita omnium meritò iudicaberis eſſe reus, quoniā certiſsimum eſt, & confeſsione tua etiam conſtat, in eo loco, quem expedire inſtituis, id te dixiſſe quod minimè eſt verum. Scripſiſti enim, neque in prima diſputatione, neque in Apologetico, neque in confutatione Spongiæ, vllis me Scripturæ teſtimoniis in rebus controuerſis contra te pugnauiſſe. Quàm enim multa de ratione idololatriæ & eius ſpeciebus; item de cultibus, qui ſine præcepto ſuſcipiuntur, nobis ſunt cōtrouerſa? Atqui in his certè plurimis Scripturæ teſtimoniis me fuiſſe vſum, ad quæ etiam ſæpè à me prouocatus nunquam reſponderis, videbūt illi omnes, qui tantum non ſint cæci, & quæ ad marginem paſsim ſunt aſsignata Scripturæ ſacræ loca legere poſsint. Et extant Herbrande tua verba, quibus teſtaris Scripturæ ſacræ teſtimonia pro Sanctorum inuocatione & reliqua materia inter nos controuerſa adduxiſſe me, quamuis iudicio tuo malè: de quo iam non quæri-

In præfat. Spong. pagel. 2. & in præfat. explicat. cauſarum pagel. 3.

In explicat. cauſ. pagel. 4. 6.

quæritur. Sic enim ais: Teſtimonia etiam Scripturæ ſacræ, quæ per vim Eſauita ad ſuam ſuorumq́ idololatricam mortuorum Inuocationem *&* Reliquam *impietatem confirmandam (corrumpens & deprauans) adducere eſt conatus, quàm nihil ea ad inſtitutū ipſius probandum faciant, ad oculum (ſcilicet tuum excæcatum) à nobis demonſtratum eſt.*] *An non hac oratione Herbrande & à calumnia falſa me abſoluis, & mendacium teſtificaris atque accuſas tuum? Sic enim in præfatione Spongiæ*
Pagella 2. *ſcripſeras: E Scriptura ſacra ad illorum ſuorum impiiſſimorum dogmatum & cultuum idololatriciſſimorum confirmationem nec gry, ſicut nec* NVNC *quidem (id eſt, in Apologetico) tametſi à me admonitus imò prouocatus afferre potuit.*] *Item in præfatione explicationis*
Pagella 3. *cauſarū: In qua (confutatione Spongiæ) nec mea iniquis refutare, nec ſua Scripturæ ſacræ teſtimoniis cōfirmare poteſt, ſed indignè fert hæc à ſe exigi.*] *In his certè locis Herbrande nō tantùm perperam me pro confirmandis rebus cōtrouerſis Scripturæ teſtimonia adduxiſſe (conſtat enim hoc eſſe commune peruerſumq́ iudicium veſtrū de teſtimoniis omnibus ſcripturæ,*

quibus

quibus vos vrgemus) ſed ne gry quidem, vt loqueris, aut malè aut benè ex Scriptura adduxiſſe me, Lectori, vt mihi inuidiam conflares, ſignificare voluiſti. Id autem, cùm teſtimonio etiam tuo, ſicut docui, ſit longè falſiſſimũ, æquo animo tibi cõditio à te propoſita ſubeunda erit, vt ſcilicet ex hoc vnico mendacio inſigni, quod repetiuiſti aliquoties, iudicium Lector faciat de reliquis: Ad quæ, cùm veriſſimè etiam ea tibi hoc loco obieciſſem, noluiſti, credo ꝓpter pudorem, reſpondere. Ac ſanè ſi illa etiam, quæ in poſtremo ſcripto à veritate alieniſſima pro more effutiuiſti, perſequi vellem, in immenſum reſceret numerꝰ. Quale enim obſecro eſt illud, quod hîc atq; aliâs paſſim & falſiſſimè et maximè temerariè, animoq́; vt coniectare licet, nõ tam ſeditionis timido quàm vaferrimè cupido ſcriptitas: Nos communem pacem turbare velle, & flabella ſeditionum eſſe, &c. Quæ certè voces iniquiſſimæ tuæ prudentibus, vt credo, viris omnibus, non verbis ac diſputatione tantùm arguendæ, ſed à Magiſtratu ſtudio pacis & tranquillitatis animaduerſione in te digna multandæ videbuntur. Nam quod ais me de illo etiam perturbandi ſtudio gloriari, inſignem

Pag. 51. & 54. & 55. &c.

Pag 55.

gnem

gnem mihi, vt modeſtè dicam, facis iniuriam. Non enim, vt tu falsò in præfatione tua recitas, ſcripſi, auctores nos eſſe principibus, vt in Germania hæreticos comburant. Sed in genere tantùm dixi, aliud eſſe, Principes perſonas ad meritas pœnas de hæreticis ſumendas adhortari, quod tu diceres à Catholicis fieri ſolere; aliud, me tanquam Inquiſitorem ſub pœna excommunicationis maioris publicè lectione tuarum diſputationũ omnibus interdixiſſe, quod tu falsò ſcripſeras me feciſſe. Vbi cùm dixi hoc me non feciſſe, minimè ſanè affirmaui me feciſſe illud alterum; quod dixi aliud eſſe. Sed recitaui te dicere, illud fieri ſolere, oſtendiq́; propter diſcrimen inter vtrumq́; malè te ex eo, ſi maximè fieret, alterum à me factum eſſe, voluiſſe concludere. Tu, tu potiùs Herbrande ſanguinem noſtrum, quem tamẽ pro ſalute veſtra, ſi neceſſe ſit, adiutore Chriſto fundere parati ſumus, iniquiſſimè ſitis; qui præ furore veritus non es hunc in modum ſcribere : Ideoq́; Hiſpanus non audiendus cum ſuis, ſed ſecundum legem diuinam tanquam Pſeudopropheta occidendi, vt auferatur malum de medio noſtri.] *Scilicet hóc modo velles breuiter & expeditè finiri*

Vide in explicat. verarum cauſar. pag. 30.

In Spong. pag. 44. b.

finiri quas nobiſcum habetis controuerſias, in quibus eſtis ad extremas tandem contumelias & calumnias redacti. Sed in manu Dei ſumus. Sic etiam falſiſsimum eſt, quod ſcribis: In conuentu Theologorum Ingolſtadij mihi obiectum fuiſſe, quod tibi iniuriam facerem. Imò doctus ille, quem tu appellas, Magiſter, cuius nomini licet à te indicato iam parco, mihi publicè in Senatu Academico, vt eũ ab erroribus veſtris ad veritatem reuocarem, quum ſe inſtrui velle ſignificaret, animũq́; erga me propenſum oſtenderet, eodem annuente commendatus eſt; eſtq́; poſt dierum aliquot colloquia mecum, eò perductus, vt, mihi coram viro quodam alio grauiſſimo pro informatione gratiis actis, non obſcuram vel manifeſtam potiùs reſipiſcentiæ ſignificationem daret. Quod & in Senatu poſtea fuit illi à viro illo grauiſsimo, quem commemoraui, publicè me præſente & aliis pluribus obiectum, nec mihi modò conſtat cuius ille ſit fidei. Sed nimis longum eſſet de his omnibus Herbrande dicere, quæ vel credis nimis facilè, vel ipſe falsò comminiſceris. Pagel. 51.

IX.

DE *poſtrema cauſa, ob quam dixeram, te non*

non amplius diſputare velle, quia ſcilicet locos communes omnes tuos & alienos non argumentorum ſolùm, ſed conuitiorum etiam fruſtrà exhauſiſſes, nihil præterea mihi agendum Fol. 53. &c. *eſſe video. Quum tu tantum huiuſmodi conuitia, de quibus & alibi dixi, repetas, & præter meam opinionem, ſicut es in hoc genere copioſiſsimus, augeas etiam. Veniam igitur ad cõfutationem eorum, quæ ſcripſiſti pro confirmatione cauſarum à te fictarum.*

DE CAVSIS AB HERBRANDO FICTIS.

I.

C*VM ægerrimè iſte ferret, tã ſæpè tamq́; apertè à me oſtendi, cõtra veritatem ipſi magis quàm contra me certamen eſſe, ideoq́; mẽdacia mihi etiam obiicere percuperet, portentoſum, ſcilicet, mendacium eſſe admodùm frigidè ſcripſit, quòd libellum quendam ex meis inſcripſi cõfutationem calumniarum, quas Herbrandus Spõgia quadam ſua cõplexus eſſet, &c. Neq́; verò id, vel antea probauit, vel nũc probat*

bat niſi autoritate ſua. Nihil enim in illa Spongia ſua, calumniarum, ſed veritatem cõtineri. Quod iſtius de ſe teſtimonium, quàm fide prorſus indignum ſit, collatio confutationis prædictæ & Spongiæ, quæ extant, Lectorem docebit. Nam quòd hic extra rem repetit de quorundam quæſtiunculis Scolaſticorum à controuerſia præſenti planè alienis, id verò quale ſit, infra certo loco, vbi ab iſto itẽ repetitur, videbimus. Sic quod inculcat, idololatriam cõmitti, quoniam in precationibus nonnullis ad B. Virginem verba quædam accommodentur Pſalterij, ſæpiſſimè eſt aliâs à me, reuicta leuitate iſtius, ratione, quæ in omnia huius generis quadrat, expoſitum. Neque vnquam iſte refutare potuit quod docui, cùm B. Virgini aut Sancto dicitur: Fac aut concede, &c. ſenſum eſſe; effice precibus & interceſſione apud Deum tua. Tantum enim refutationis loco repetit precatiunculas eiuſdem generis, in quas illa eadem interpretatio æquè conuenit. Vt cùm dicitur: (quod contra iſte iam obiicit) ſecundum viſcera miſericordiarum tuarum mũda me ab omnibus iniquitatibus meis; Prorſus Herbrande ſenſus eſt; effice precibus & interceſſione apud

Fol. 26. Fol. 57.58.

Deum tua, vt diuinitus à peccatis emunder. *In quam ſententiam apertiùs Magnus Athanaſius: Intercede hera & Domina, & Regina & mater Dei pro nobis.*] *Atque item Bernardus: Sit pietatis tuæ ipſam, quã apud Deum gratiam inueniſti notam facere mundo, Reis veniam; medelam ægris; puſillis corde robur; afflictis conſolationem; periclitantibus adiutorium et liberationem Sanctis tuis precibus obtinendo.*] *Et haud diſſimili loquendi modo B. Ioannes Damaſcenus ait: Aue gratia plena, Aue vnicum moleſtiarum leuamen: Aue omnium cordis dolorum medicamentũ: Aue ſancta Virgo, per quam mors quidem fuit* EXPVLSA, VITA *autem introducta, &c.*] *An cenſes Damaſcenum etiam idololatram fuiſſe, quoniam Virginem abſolutè dixit leuamen eſſe omnium cordis dolorum, &c. Quæ, malûm, blaſphemia iſta eſt, idololatriæ nos propter id officium, nempe inuocationem Sanctorum inſimulare, quod fuit etiam ab Athanaſio, Damaſceno, Bernardo, & aliis Patribus vſurpatum? Et cur illam hyperbolen ad D. Virginem, vel ad alium quempiam ex Sanctis: Tu omnia potes, &c. accuſas iterũ idololatriæ,*

In Euang. de Deipara.

Sermo. 4 de B. Virg.

In ſermon. de dormitione Deiparæ.

tùm nihil vnquam reſponderis ad perſpicuum exemplum, quo docui, nihil eam abhorrere à plana vſitataq́ dicendi ratione. Nam & eos, inquam, qui apud Principem aliquem gratia plurimum valent, dicere, exempli cauſa, conſueuimus, omnia in illius ditione poſſe. Quid ita? quoniam, quæcunque volunt, obtinere valent à Principe. Pari modo, ſi B. Virgini dicam: Tu omnia potes: Intelligo, quæcunq́ videlicet à Domino precari velis. Sed dicis tu ac ſæpe repetis, hyperbolas à veſtris hominibus, mendacia nominari. Exiſtimatis igitur, ne Scripturam quidem ſacram carere mendaciis, quoniam habet quandoque hyperbolas. Mitto quod aliâs ſæpè dixi, preculas à te commemorari aliquas apocryphas ex antidotariis, horariis, & horarum curſibus, & aliis corroſis voluminibus, &c. Neque repetenda mihi hoc loco prolixè ſunt, quæ diſputaui aliâs copioſè vt docerem, iniquiſſimè vos ac pueriliter etiam facere, quòd quaſi per vim velitis eũ precationum ſenſum à nobis extorquere, qui ſit idololatricus, quiq́ proinde eſt à noſtra mẽte alieniſſimus. Me autem in diſputationibus meis tecum de rebus controuerſis Scripturæ teſtimonia nõ

In confut. Spong. c. 6.

Fol. 57.

Vide Aug. lib 3. de doctri. Chriſt. cap. 29. vbi docet Scripturam vti omnib. modis, quos Grammatici tropos vocant.

Vide in Apolog. & cõfut. Spõg. cap. 6.

vſurpaſſe, quod hîc repetis, non tàm meis quàm tuis verbis ſupra conuici falſitatis. Ridiculum enim eſt, quod hic ais, te tantùm voluiſſe dicere, Scripturæ teſtimonia, quæ adduxerim, à me fuiſſe corrupta. Hoc ne tantùm tibi aut Lectori ſignificare potuit quod, vt ſupra recitaui, ſcripſiſti, ne gry quidem afferre me ex Scriptura ſacra potuiſſe? Sed inquis, Scripturis me deſtitui faſſum me tum fuiſſe cùm ſcripſi; friuolum eſſe argumentum veſtrum, quòd diuinum præceptum venerandi per inuocationem Sanctos, aut etiam honorandi reliquias poſcatis; cùm conſtet, inquam, ex diuinis literis, ſpontaneos etiam cultus & vtiles & Deo gratiſſimos eſſe.] Quaſi verò Scripturæ autoritate & diuini verbi approbatione careat, quicquid caret diuino præcepto. Tam es Herbrande tardus, vt nō intelligas latiùs Scripturæ teſtimonium quàm Dei præceptum patere? Qualis igitur cōſequentia hæc eſt: Hiſpanus friuolum argumentum eſſe exiſtimat, ſi quis requirat diuinum præceptum inuocandi Sanctos; ergò fatetur ſe nullis Scripturæ teſtimoniis confirmauiſſe inuocationem Sanctorum.

Fol. 64. (margin, beside "enim eſt, quod hic ais")

Fol. 61. & 62. (margin, beside "ſtitui faſſum me tum")

Negaueras, te vnquam pro concione, quaſi viciſſes

viciſſes aduerſarios tuos quoſdam, gloriatum eſſe, quod ad nos tamen per literas hominis fide digni relatum erat. Id verò autoritate tua confirmas denuò commiſſum à te non eſſe. Neſcio cur tibi magis quàm aliis ſit credendum. Sed hoc parùm intereſt. Illud iniquiſſimum eſt quod repetis, nos eſſe auctores ſeditionum. De qua temeritate tua ſupra dixi non tantum, quantum meritò contra vos poteram, ſed quãtum putaui, Herbrande, prudentibus lectoribus futurum ſatis. Fol. 64, & 65.

Mendacium eſſe item dixerat, quod ſcripſi, nullam eſſe Eccleſiaſticæ doctrinæ partem, quæ, ſi locum vllum in diſputatione habeat Theologia vera, non etiam Scripturæ autoritate cõprobetur. Hic cùm opponeret, purgatorium ex Scriptura probari nõ poſſe, locum produxi ex Auguſtino valdè perſpicuum, quo is ex Scriptura purgatorium probat. Atqui ego, inquit iſte, in verba Auguſtini non ſum iuratus, etiamſi longè inferior Auguſtino.] Et: feciſſe id Auguſtinum minus conſideratè.] Tum alibi eundem Auguſtinum purgatorium negaſſe. Verùm hoc ego, explicatis his Auguſtini teſtimoniis, quæ nunc iſte citat, & aliis quæ aliàs In explicatione verarum cauſarum fol. 32. Fol. 68. & 69. Vide in Apol. de ſacriſi. Miſſ. cap. vltimo.

aliàs adiunxit, manifeſtè docui eſſe falſum. Neque mihi iam, cùm de purgatorio ex inſtituto non diſputo, neceſſe eſt, quæ contra Auguſtini probationem diſputat iſte diſcutere. Satis nunc ſit eum, cùm Auguſtino inferior, vt fatetur, ſit, contra Auguſt. tamē diſputare. Nam quod Auguſtinum alicubi de Purgatorio ſubdubitaſſe dicit, locos Auguſtini non citat. Hoc certum eſt, eum pluribus in locis purgatorium aſſerere, & quidem ex Apoſtoli teſtimonio; ſicut anteà indicaui. Neq; obſtat, quod ignem illum, de quo Apoſtolus loquitur, ad tribulationes etiam alias, quibus pij velut expurgantur etiam in hac vita, nonnunquam accommodat Auguſtinus; vt cùm inquit: Iſte ignis multos Martyres hìc probauit, omne autem genus humanum probat in fine.] Admittit enim idem Scripturæ locus (vt Auguſtinus ipſe docet) plures ſenſus veros, qui inter ſe non pugnent.

In Pſal. 29.

Vide D. Auguſt. ca. 3. de doctri. Chriſtian ca. 23. Iob. 72.

Quòd inuocationem Sanctorum item negas ſcripturæ teſtimoniis probari à nobis poſſe, quid attinet multis denuò id refellere, cùm ad ea argumenta, quæ ex Scriptura, tum in Apologetico, tum in cōfutatione Spongiæ pro Sanctorum inuocatione duxi, nunquam diſtinctè

In Apol. & cōfut. Spōg. cap. 6.

reſponderis? Lector loca conferat & intelliget vix te particulas tantum mearum probationũ referre; ne dum confutare argumenta. Cùm enim ego ex pluribus Scripturæ teſtimoniis inter ſe comparatis argumentatus ſim, tu vnicum tantummodo locum ex libro Iob commemoras. Ex quo tamen nec volui quidem proximè ac ſimpliciter inuocationem Sanctorum, qui ſunt vita functi, confirmare, (vt tu nunc falsò ſignificas) ſed probare illud, quod inter cætera ad eam aſſerendam ſumpſeram; Deum ita honorare ſolitum amicos ſuos, vt rogari ab ipſis in aliena cauſa velit. Porrò ſacrarum imaginum venerationem Scripturæ ſacræ conſentaneam eſſe ex eo intelligitur, quod conuenienter Scripturæ ſacræ ſacris prototypis, quorum ſunt imagines, veneratio adhibetur. Illis enim in ſuis imaginibus, vt aliâs docui, honor habetur. Et ineptum eſt, quod hîc obiicis, aliquid ampliùs iſto modo concludi, quàm aſſumatur: Vel ſicut ais, plus eſſe in conſequente quàm in antecedente, cùm concludimus, conuenienter ſcripturæ haberi in honore imagines, quoniam Scripturæ conſentaneum eſt, vt iis, quorum ſunt imagines, honorem adhibeamus. Niſi enim Iob.42. Fol.73.

conſequens ab antecedente differret, vitioſa imò nulla potiùs eſſet concluſio. Tantùm neceſſe eſt antecedentis & conſequentis ſit aliqua connexio. Talis autem hîc eſt ob eam cauſam, quoniam, vt dixi, qui honos adhibetur imagi-
Fol.74. *ni ad prototypum refertur. Sed Gentiles, inquis, ad prototypum etiam ſimulachrorum cultum referebant. Cur locum callidè diſſimulas,*
In Apolog. cap. 7. *vbi ex Auguſtino euidentiſſimè docui, id ad*
In Pſal. 113. *vnam idololatriæ ſpeciem pertinuiſſe, qua per imagines diuino cultu afficiebant Ethnici cælum, mare, & ſimiles res creatas? An nos imaginum honorem ad prototypum ſic referimus, vt per imaginem diuinis honoribus afficiamus creaturas?*

Vide cap. 7. Apolog. & cõfut. Spõg. *Verùm quod ad imagines attinet, copioſè hic locus eſt à me, refutatis omnibus, quæ obiicere contrà iſti ſolent, tractatus. Videamus quomodo probationem cælibatus ex ſcriptura obiter à me conſtructam, quam etiam petiueras, refutes. Sanè cælibatum ipſum, bonum*
In explicat. cauſar. folio 34. *imò melius aliquid & acceptius Deo eſſe quàm coniugalem ſtatum, his ego verbis Apoſtoli valdè perſpicuis, quæ tu præ verecundia hoc loco*
1. ad Cor. 7. *recitare noluiſti, comprobaui: Exiſtimo ergo, inquit,*

inquit,hoc Bonum *eſſe propter inſtantem neceſsitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe,&c.*] *Item: Qui ſine vxore eſt,ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori & diuiſus eſt. Et: Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt,vt ſit* Sancta *corpore & ſpiritu &c. Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod* Honeſtum *eſt, & quod* FACVLTATEM *præbeat,* ſine IMPEDIMENTO *Dominum obſecrandi.*] *Poſt hæc, quæ, vt dixi, miniſter hic Lutheranus, ne aliquod impedimentum obſecrandi Deum habere propter coniugium cogeretur agnoſcere, reticuit, conſequenter ſubiunxi, legem cœlibatus poſt emiſſum ſponte continentiæ votum conuenientem eſſe ex illis probari locis, qui ſunt ratiocinatione coniungendi: Obedite præpoſitis veſtris.*] *Et: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, &c.*] *Hic verò iſte vota cæremonias eſſe repetit veteris legis; proinde non eſſe iam licitum perpetuæ continentiæ votum; atque adeo neque bonam eiuſmodi legem, quæ ſeruari illud præcipiat. Atqui ſupra* Ad Heb.13. Eccl.5. Fol.77.

dixerat, non omnia vota fuiſſe cæremonialia; ſed quædam, nempe boum, & pecudum, &c. Neque verò continentia perpetua materia minus apta ad vouendum eſt, cùm eam conſulat Apoſtolus tanquã melius & ſanctius aliquid, quod facultatem, miniſtris proculdubio Euangelicis valdè conuenientem, præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.

Fol. 78. *Sed nolo ad controuerſiam de cœlibatu, quæ ampliſſima eſt, longius digredi. Tantùm ad calumnias reſpondebo iſtius. Ait me dum negare volo Eccleſiam prohibere ipſum per ſe coniugium, fateri tamen idipſum cùm ſcripſi, Eccleſiam ſacratis Deo perſonis propriè quidem non tam coniugium quàm infidelitatem ſacrilegam prohibere, cuius eſſent rei, ſi primam fidem Deo datam, irritam contrahendo matrimonio facerent.*] *Si non* TAM, *inquit iſte, prohibet, prohibere ergo ſuos coniugium fatetur.*] *Ego verò Herbrande fateor, ſacratis perſonis ab Eccleſia coniugio interdici, non ſimpliciter tamen & abſolutè, quaſi coniugium per ſe improbet, ſed ex hypoteſi, id eſt, poſito quod ſeſe ſuſcipiendo eiuſmodi ſtatu ad cœlibatum voluntariè aſtrinxerunt. Atque ideo dixi, non tam*

In explicat. cau. fol. 35.

con-

coniugium his perſonis, quàm infidelitatem prohiberi Eccleſiaſtica lege. Quod ſi bonum & honeſtum & ad facultatem obſecrandi Dominum ſine impedimento vtile eſt, vt perſonæ Deo ſacratæ ſint cœlibes, conſultiſſimum etiam eſt illud Eccleſiæ decretum, ne quis initietur ſacris, quin cœlibatus legem ipſe ſibi indicat; maximè cùm ad eum vitæ ſtatum neminem cogat. Ita nihil illa mihi verba obſtant, quæ refers ex decretis (quanquàm non ſunt canonis, vt tu citas, ſed Gratiani) Copula, inquit, ſacerdotalis nec legali nec Euangelica, nec Apoſtolica auctoritate prohibetur, Eccleſiaſtica tamen lege penitus interdicitur.] *Sed ais quoque, matrimonium nos per ſe damnare, quoniam probemus cælibatum ex illis locis: Sancti eſtote, nam ego Dominus Deus veſter ſanctus ſum: Item: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.*] *Prior locus haud eſt ſanè ad eam rem confirmandam ineptus: ſic enim & Apoſtolus loquitur: Vt ſit* SANCTA *corpore & ſpiritu.*] *Neque coniugij ſtatum ideo prophanum exiſtimamus, vt tu calumniaris; ſed minus perfectum, neq; perinde aptum ad Deum obſecrandum abſque impedimento, vt Apoſtolus loquitur.*

26.q.2. ca. ſors.

Fol.78.& 79.

1.ad Cor.7.

Lib.7.in Lucam. *tur. Rectiſſimè namque Ambroſius: Ille, inquit, qui duxit vxorem, cogitat quæ mundi ſunt, non quæ Dei:* NON QVO CONIVGIVM REPRÆNDATVR, *ſed quia ad* MAIOREM *honorem vocetur integritas, quoniam mulier innupta & vidua cogitat quæ ſunt Domini, vt ſit* SANCTA *corpore & ſpiritu.*] *Quod autem attinet ad alterum illud teſtimonium: Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt, cur locum non indicaſti vbi ad cœlibatũ comprobandum à Catholicis ille vſurpetur? Nos certè honorabile & Deo gratum etiam eſſe matrimoniũ confitemur, & longè quàm vos luculentius. Nam ſacramentum etiam eſſe diuinitus inſtitutum affirmamus; vos inficiamini. Sed de re, quam tu veſtro more præter inſtitutum controuerſiæ noſtræ immiſces ſatis nunc multa.*

Illud minimè diluere potuiſti, quod obieci, ſcripſiſſe te falsò, Patres ipſos in Concilio Conſtantienſi faſſos eſſe, vſum communicandi altera ſacramenti ſpecie tantùm inſtitutioni atque præcepto Chriſti repugnare. Nam neq; oſtendis, neq; oſtendere vnquàm poteris locum, vbi à Patribus id ſit conceſſum: ſed tantùm contra eum Eccleſiæ ritum ea obiicis, quæ cùm ſint à

Fol.81.82. Vide in tracta. & Apolo de Sacrif. cap 3.

me

me in aliis contra te libris abundè explicata,nō debeo hic repetere.

Quod verò attinet Herbrande ad crimen hæreſis,de quo hic ſcribis,lege,ſi ignoras te, tabulas ſaltem Lindani et agnoſces,quorum nam veterum hæreticorum veſtigiis inſiſtatis. Nam Ebionitarum errorem, quem nobis, ne ſoli vos hæretici videamini, ridiculè & contra conſcientiam affingis, antè reſpondi quod neque tu ignoras, neque refellere potes, non ideo illos damnatos fuiſſe, quoniam putarent aliis etiam bonis animi motibus, charitatis & pœnitentiæ, &c. (quod nos manifeſtis ſcripturis docemus) & non ſolo motu fidei gratiam apprehendi, ſed quia legis Moſaicæ cæremoniales obſeruationes Chriſtianis etiam incumbere ſentiebant. At inquis, nos ſimiliter negare ſolam fiduciam Chriſti eſſe qua homo iuſtificetur, verùm Moſis legum moralium obſeruationem neceſſariam eſſe ad iuſtificationem.] Vel non intelligis, vel ſimulas te non intelligere rem planiſsimam. Non hic fuit Ebionitarum error, quòd obſeruationem moralium præceptorum Chriſtianis neceſſariam eſſe, aut aliis etiam motibus unâ cum motu fidei in Chriſtum apprehendi

Fol. 84.

Vide Hiero. in ca. 1. Iſai. Niceph. lib. 3. Eccl. hiſt. c. 13.

hendi iuſtitiam exiſtimarunt. Hæ namque ſententiæ ſunt Chriſti & ſcripturæ veriſſimæ, vt alio in loco contra vos conuici manifeſtè. Sed in illo erant Ebionei errore, quòd ad fidem & legem Chriſti ſentiebant adiungendam nobis eſſe legalem ſeu ceremonialem legis obſeruãtiam. Hoc cùm à noſtra ſententia alieniſſimum eſſe ſcias, cur tam frigida calumnia in nos conſcientiam hæreſis veſtræ lenire atque ſolari ſtudes?

In diſputat. de differ. veteris & nouæ legis &c.

Sic in Montano Herbrande non lex ieiuniorũ damnata ſimpliciter eſt, quaſi ieiunium malum ſit, aut lex nequeat de ieiunio ſanciri; ſed ieiunandi ſtudium exſpectatione delira paracleti, quaſi non is anteà in Apoſtolos deſcendiſſet, ſed à Montaniſtis primùm ieiuniis arceſſendus atque adeo excipiendus fuerit. Tali nos prætextu Paracleti (de quo nugaris) minimè ieiuniorum leges ab Eccleſia ſanctiſſimè indictas defendimus, ſed lõgè diuertiſſimo; cùm nimirum eas rectas eſſe probamus, quia in ferendis legibus, quæ ad vniuerſam rempublicam Chriſtianam ſpectent, Spiritu ſancto Eccleſia regitur.

Fol. 85.

Fol. 86. *Porrò ſolui in Eccleſia, quod obiicis, legitima*

con-

coniugia, nunquam probabis. Sed an non contracta, inquis, à ſacerdotibus in omnibus veſtris conſiſtoriis ſoluitis?] *Atqui hæc Herbrande ſacrilegia ſunt, non legitima coniugia. Dicis: Paulò antè docui, legitima eſſe miniſtrorum Eccleſiæ coniugia, quia ſecundum legem & verbum Dei.*] *Vbi, quādo, quomodo docuiſti? Certè ex Apoſtoli loco 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. (quæ citaſti) quomodocunq; interpretari velis, id ſolū docere liceat, potuiſſe aliquando Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum: Legitima autem eſſe miniſtrorum coniugia etiam tum, quum Eccleſia propter cauſas optimas ea rata non habet, inde minimè doceri poteſt. Sic quod Apoſtolus ait, melius eſt nubere quàm vri, non propterea intelligit id vnum ſolum ne quis vratur eſſe remedium, quo ſit omnibus omnino, quibus caſtitas laborioſa eſt, neceſſariò vtendum. Sed oſtēdit, iis licere certè vti matrimonij remedio, quibus matrimonium alioqui licet. Aliis autem remedia neque pauca neque parum efficacia ſuperſunt ad obtinendum caſtitatis donum, à Deo, qui eſt ad adiuuandum propenſiſsimus. Caſtigandum Herbrande corpus eſt. Precari aſsiduè, vigilare, cauere &c, oportet. Hæc vos reme-*

remedia, Prædicantes, ſi non vſurpatis, neque mortificatis membra veſtrà, quæ ſunt ſuper terram, mirum eſt minimè, adeò rarum vel potius adeò nullum apud vos eſſe continentiæ donum. Dices: Quid ſi caſtigatione, diligentia, precibus, &c. adhibitis, nihilominus laborioſa res eſt? Reſpondeo: Quid ſi, ne in coniugio quidem extincta ſit omnis flamma libidinum? Inſtandum eſt; certandum eſt; perſeuerãdum eſt, donec det nobis Dominus victoriam per Chriſtum.

Verùm de re ab inſtituto aliena nimis fortaßis multa. Pelagianorum errores videamus, quomodò doceas nobis eſſe communes. Concu-
Fol.86. *piſcentiam, inquis, peccatum eſſe negãt: Hominem liberum habere arbitrium etiam in ſpiritualibus: Gratiam ſecundum merita dari: Hominem ſuis viribus naturalibus legem Dei poſſe implere: Patriarchas legis naturalis obſeruatione, Iudæos Moſis, Chriſtianos nouæ & Euãgelicæ legis obſeruatione iuſtos & ſaluatos, aſſerentes.] Non te Herbrande pudet, vel turpiter ignorare, qui fuerint Pelagiani errores, vel malitioſè nobis errores obiicere Pelagianos? Primùm, in quibus & quomodo negamus*

nos

nos concupiſcentiam eſſe peccatum? vtiq; in renatis, ſicut ipſe poſtea confiteris; quoniã Sancti, abluti, & immaculati per baptiſmum redduntur, vt alibi contra corruptelas veſtras euidentiſſimis ſcripturis docemus. Pelagiani autem damnati ſunt, quoniam ne ante baptiſmũ quidem peccatum in concupiſcentia cognoſcebant. Iam hominem ita liberum arbitrium in actionibus ſpiritualibus, quæ ad ſalutem valerent, habere cenſebant, vt negarent ad eas eſſe auxilium gratiæ neceſſarium; eatenusq; tantùm in ea re errabant. Quod à nobis receptum non eſt, ſed diſertis verbis, vberrimisq; diſputationibus damnatum. Vos autem hoc loco Herbrande manifeſtiſſimè de Pelagianiſmo conuincimus. Dogma namque Pelagianorum imò principium & velut axioma erat, liberum arbitriũ non eſſe quod auxilio gratiæ indigeret. Hoc idem vos noui Pelagiani mordicus retinetis & pertinaciſſimè diſputatis, cùm ex eo colligitis, ſalutares actiones, quoniam ad eas diuina gratia neceſſaria ſit, liberas nullo modò eſſe. Ita principium vobis commune & prorſus idem cum Pelagianis eſt, licet non idem exitus. Nam illi, vt libertatem in iis actionibus defenderẽt,

Vide D. Hieron in epiſt. ad Ihetiphõtem.

Lutherani Pelagiani.

gratiam neceſſariam eſſe inficiabantur. Vos, quoniam Pelagianum axioma probatis, liberum arbitrium non eſſe, quod diuina gratia indigeat; ne gratiam reiiciatis, libertatem tollitis. Veritas Scripturæ diuinæ incedit media via. Nam libertatem cum neceſſitate gratiæ conſociat. Sed ad reliquam tuam calumniam redeo. Dicis: Etiam ſententia noſtra gratiam ſecundum merita dari. Vide quantò ſecùs ea de re Concilij Tridentini Patres ſenſerint ac definiuerint:
Seſs. 6. ca. 8. *Gratis, inquiunt, iuſtificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt ſiue fides ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur; Si enim gratia eſt, iam non ex operibus; alioqui vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia.] Qualis igitur impudentia eſt, Pelagianorum ſententiam de iuſtificationis merito à nobis diſertè damnatam, nobis aſcribere? Sed nonnulli de merito vt attingis, impropriè dicto, nempe ex cõgruo (cui ſcilicet præmium nulla lege debetur) diſputant. Verè ſcio Herbrande & tu ſcis etiam, parum vel nihil te de eiuſmodi diſputatione intelligere; nam ſi intelligeres, ſcires etiam, alterius longè rationis eſſe hoc meritum. Quanquam & ipſum*

ipſum quidem à pauciſſimis tantùm probabiliter, idq́ʒ reiecta tota impietate Pelagianica, defenditur. Qua de re non libet Herbrande & tecum modò, & in alieno loco diſſerere. Vt neque attinet de aſſertione illa Theologorum veriſſima, eiusq́ʒ ſenſu proprio & cum ſcriptupturis ſacris vbique congruenti dicere: Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiā. Quorſum enim ſurdo loquar, aut controuerſias omnès in vnum conferam locum? Iam naturæ viribus poſſe totam legem ſimpliciter impleri, ita vt ad ſalutem conſequēdam oportet, nemo Catholicorum eſt, qui cum Pelagianis doceat. Et qua ratione Patriarchis olim atque Iudeis contigerit iuſtificatio, clarius eſt à Patribus Concilij Tridentini definitum quàm vt vllum locum habere calumnia tua poſſit. Sic enim diffiniuerunt: Si quis dixerit, hominem Seſs. 6. cā. 1. *ſuis operibus, quæ vel per humanæ* NATVRÆ *vires, vel per* LEGIS *doctrinam fiant, abſque diuina per* IESVM CHRISTVM *gratia poſſe iuſtificari coram Deo, anathema ſit.] Item:* Seſs. 6. cā. 3. *Si quis dixerit, abſque præuenienti Spiritus ſancti inſpiratione atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere*

poſſe ſicut oportet vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.] *Quis non videt his locis condemnari Pelagianorum errores à te memoratos?*

Fol. 87. *Docuit Tatianus, inquis, non minus Deo diſplicere coniugium quàm ſcortationem. Vos vt Tatianum & Encratitas ſuperaretis, ſacerdotem ducentem vxorem grauius peccare aſſeritis quàm ſcortantem aut adulterantem.*] *Nimirum, Herbrande, quoniam, vt antea expoſui, non coniugium ſed ſacrilegium eſt id facinus ſacerdotum. Sacrilegium autem grauius peccatum eſſe ſcortatione aut adulterio quis neſcit? Non igitur coniugiũ vt Tatiani, ſed ſacrilegiũ damnamus. Nec diſsimilis calumnia eſt, quòd ais, nos commutatis tantùm nominibus innumerã Deorum turbam fingere, vt Valentinianos. Quid doctrina de ſanctorum inuocatione ad Valentinianorum phantaſmata, & portenta Deorum, vt apud Irenæum videre eſt, intelligibilium? Sed hac de re dictum eſt in Apologetico & Confutatione tuæ Spongiæ plus ſatis. Vbi etiam oſtenſum eſt à Colliridianorum idololatria, qui beatæ Virgini tanquam numini alicui offerebant, longiſsimè eum honorem*

Lib. 1. contra hæreſes.

Vide cap. 6. & 7.

dif-

differre quem illi nos reliquíſque ſanctis habemus.

De primatu Petri, quẽ hîc obiter argumentis veſtris marcidiſſimis oppugnas, nolo diſputare in alieno loco. Tãtùm quòd ad Gregorij locum attinet vbi titulum vniuerſalis Epiſcopi exagitat, Lector mihi admonendus eſt vt diligenter animaduertat, confiteri tandem te quod manifeſtè demonſtraui, Gregorium videlicet officium & rem ipſam vniuerſalis Epiſcopi minime damnare illic, ſed confirmare potius illud eſſe Petro à Chriſto commiſſum. Hoc enim ſi verum eſt, vt eſt ſanè ex ipſo Gregorij loco perſpicuum, neceſſe eſt quoque fateamini, cùm Gregorius illic in titulum nihilominus Epiſcopi vniuerſalis inuehitur, non ipſum nomen improbare, ſed vanitatem in eo aut ſchiſmaticè ſibi arrogando aut etiam iactãdo gloriosè. Quî enim titulum per ſe improbaret ac nomẽ, cùm rem officiumq; nomine ſignificatum confirmet, vt fateris? At Gregorius, inquis, ita dicit: Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præuenit, quia ſuperbiendo, ſe cæteris opponit.] Omnino neceſſe

Fol. 88. &c.

Fol. 91.

In explicat. ver. cau. fol. 39.

In epiſtola ad Mauritiũ Imperat. cõtra Ioãnem Patriar. Cõſtant. Habetur, lib. 4. epiſt. ex Regiſtro c. 76.

eſt alterutrum concedere: vt vel officium vniuerſalis Epiſcopi ſeu ſacerdotis, vel vanitatē in iactando eo nomine præſertim ſchiſmaticè (vt ille Ioannes Conſtantinopolitanus cōtra quem illic agitur) damnet Gregorius his verbis. Non enim eſt tertium; cùm nominis vſus per ſe, quando res eſt bona, malus eſſe non poſsit. Atqui officium ipſum vniuerſalis Epiſcopi Gregorius non damnat, ſed potius ibidem multis argumentis probat, (vt fateris;) confirmatq́; ad Romanum Pontificem, cui etiam titulum vniuerſalis Epiſcopi à Calcedonenſi Synodo tributum eſſe commemorat, pertinere. Reliquum eſt igitur vt ſolam vanitatem atque ambitionem in iactando eo nomine Gregorius ibi condemnet, ſicut eſt expoſitum.

1. Reg. 15. *Dixi præterea non cenſuiſſe Samuelem idololatriam eſſe non obedire, quemadmodum iſte falsò citauerat, ſed quaſi peccatum idololatriæ: Et rectè ſic vertiſſe de Hebraico vulgatum interpretem. Nam coniunctionem* ו *vbi Hebraicè legimus* ותרפים *tantundem ſæpè ſignificare quantum particulam* כ *id eſt, ſicut vel quaſi. Hoc iſte negat, mirabiliterq́; hoc loco more ſuo nugatur. Sed exempla ſuppetunt mihi*

per-

perſpicua, quorum vnum ipſe etiam imprudẽter commemoraſti. Agnoſcis enim particulam ו *valere tantundem aliquando quantum particulam* SIC. *Vt Prouerb. 25. Aquæ frigidæ ſuper animam feſſam* SIC *nuncius bonus de terra lõginqua. Hebraicè habetur* וּשְׁמוּעָה. *An non hîc particula* ו *eſt comparatiua? Item Prouerbiorum 27. Vnguentum & ſuffitus exhilarabit cor,* SIC *dulcedo amici propter conſilium animæ: Hebraicè:* וּמֶתֶק. *Item Prouerb. 26. Oſtium voluetur in cardine ſuo* SIC *piger in lecto ſuo. Hebraicè:* וְעָצֵל. *Nullum certè dubium eſt, quin* ו *in his locis particula ſit comparatiua, quæ proinde valeat, quod ad rem attinet, tantundem quantum particula ſicut, vel quaſi. Imo, ſi verbum è verbo reddamus, cùm Hebraicè in his locis nõn habeatur:* VT *aquæ frigidæ &c: nec,* VT *vnguentum & ſuffitus etc: nec,* VT *oſtium voluetur &c: Sed ſimpliciter, ſine præcedente aliqua particula comparatiua dicatur: Aquæ frigidæ &c: &, Vnguentum &c; &, Oſtium, &c. pro particula* ו *quæ poſtea ſequitur, particulam etiam* SICVT *expreſſè ſubſtituere poſſumus. Vt ſit ſenſus: Aquæ frigidæ ſuper animam feſſam* SICVT *nuncius bonus*

de terra longinqua, &c. Etenim particula Sic *propriè particulam* Vt *vel* Sicvt *præcedentem requirit. Vt ſi diceremus: Sicut, vel, vt aquæ frigidæ &c. Sic nuncius bonus &c. Hebraicus autem textus non ſic habet ad verbum.*

Deinde hunc vocis vſum ex eo item confirmaui, quod Chaldeus Paraphraſtes in verſione illius ſententiæ Samuelis ex Hebraico, dictione eſt etiam vſus comparatiua. Quod miror ab
Fol 94. *iſto negari, cùm ex ea ipſa verſione, quam ipſe etiam recitat, manifeſtiſſimè conſtet. Sic enim habet:* Vt *peccata populi, qui errat poſt idola:* Sic *peccatum omnis hominis, qui addit ſuper*
Fol 95. *verba Prophetæ.] Hic, inquit Herbrandus, ab Hiſpano oculatiſſimo monſtrari mihi cuperem, Quaſi.] Quid? Adeò cares oculis vt in hac Paraphraſtica verſione non videas* Vt *&* Sic, *quæ ſunt etiam particulæ comparatiuæ & tantundem valent quantum particula Quaſi? Age, locum verbis Chaldaicis deſcribamus.*

וכחובי עמא דטער בתוט עותא כן חבתו
כל - אנש דמוסית על מילי נביאי

Aperi oculos Herbrande, & quam à me requiris hic particulam aſpice, nempe כ *id eſt, quaſi.*

Labo-

Laborat hìc poſtremo ne vidaetur vllo modo dixiſſe quod eſt veriſſimum, quodq́; ego, non ſine ratione, vt anteà oſtenderam, voluiſſe ipſum dicere, ſum arbitratus: nempe veram legitimamq́; Chriſti Eccleſiam eſſe infallibilem quoque fidei regulam, qua videlicet abſq; vllo errore proponat nobis quid credẽdum ſit. Sed quanquàm rationem cur ego ita intellexerim te dicere, non ſatis Lectori oſtendas, ex his ipſis tamen, quæ verboſiſſimè conuicioſiſſimeq́; hoc loco dicis, intelliget, nihil à me peccatum contra te eſſe, quòd ex verbis tuis ſententiam collegerim, quæ eſt veriſſima. Summa enim quæſtionis eſt, an vbi dixiſti: In Theologia ſyncera, et vera Chriſti Eccleſia in terris; verbum ſyncera ad Theologiam referendum fuerit, vt ais te voluiſſe, an ad veram Chriſti Eccleſiam, vt ego propter rationes, quas antea expoſui, putaui te velle. Et infra fateris veram Eccleſiam columnam dici veritatis: quia agnoſcit & retinet veram & certam doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, ſuper quorum fundamẽtum eſt ædificata.] Si certam doctrinam Eccleſia vera retinet, neque in ea re labi errore poteſt, certam igitur doctrinam infallibiliter

Fol. 96. & ſeq.

Fol. 99.

nobis proponit: atq; adeò regula nobis credendi infallibilis eſt; non tanquàm ipſa ſit prima veritas, ſed tanquàm magiſtra certè infallibiliter nobis indicans eam doctrinam, quæ authoritate nititur primæ veritatis; ſic enim intelligimus. Quod autem negas veram Chriſti Eccleſiam retinentem hoc modo certam doctrinam eſſe Eccleſiam, quæ Romano Pontifici paret, alia quæſtio eſt, in qua non minus facilè quàm in reliquis de errore conuincimini, vt aliâs, ſi Deus voluerit, oſtendemus. Nunc quid tu de vera Chriſti Eccleſia, quæcumq; illa ſit, ſentias tantummodo quærebatur.

II.

Fol. 100. & ſeq. REPETIS *deinde ob eam etiam cauſam te mecum diſputare amplius noluiſſe, quoniam principium negem in Theologia firmiſſimum, nempe cultus non eſſe ſponte vſurpandos abſq; Dei præcepto. Quod ego non principium certum, ſed vaniſſimum eſſe commentum cenſui, ac ita demonſtraui, vt nihil iam ex Scriptura pro ea vanitate opinionis confirmanda afferas quod non ſæpius ex eadem Scriptura diluerim.*

Vide in Apologet. & *Quod ſi Vatablus, quem mihi citas, vobiſcum has*

hac in re ſenſit, vobiſcum errauit. Nam cùm Scriptura voluntarios cultus non præceptos damnat, eos intelligit, qui adeò præcepti non ſunt, vt ſint etiam diuinitus prohibiti. Hoc ex phraſi Scripturæ in aliis locis, & ex iis ipſis teſtimoniis, quæ ad opinionem veſtram perperam detorquetis, aliquoties oſtẽdi. Verba enim illa: Quod præcipio tibi hoc tantum facito, &c. hæc verba proximè antecedunt: Non facies ſimiliter (vt Gentes) Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas accuſatur Dominus fecerunt Diis ſuis offerentes filios & filias & comburentes igni. Quod præcipio tibi, &c.] Ad has & ſimiles abominationes, illæ quoque ſententiæ pertinent: Perdet te Dominus velociter propter adinuentiones tuas peſſimas, in quibus reliquiſti me.] Et: Dimiſi eum ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.] Et: Vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.] Et: Irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, &c.] Impios, inquam, cultus gentium ab Iſraëlitis vſurpati, non autem vt iſte ſomniat, iÿ, qui cum iuſta ratione congruant, tantumq́ diuinitus præcepti non ſint, hîc damnantur. Ita Chriſtus, cùm reprehendit

cõfut. Spõg. cap. 2. Item in tract. de ſacrificio, cap. 4. in reſpon. ad argum. cõtra probationem 3.

Deuter. 12.

Deuter. 28.

Pſal. 80.

Pſal 98.

Pſal. 105.

man-

mandata hominum & voluntarios cultus, de quibus loquatur, ſatis oſtendit, inquiens: Matth. 15. *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum, &c.] Et non alienum eſſe à Scripturæ phraſi, vt cultus qui eſt etiam prohibitus, non præceptus dicatur ille locus oſtendit:* Deuter. 17. *Si reperti fuerunt apud te, qui tranſgrediantur pactum Domini vt ſeruiant Diis alienis & adorent Solem, Lunam et Stellas* QVÆ NON PRÆCEPI *eis, &c.]*

Fol. 104. *Verùm hic iſte opponit nō ſequi, alibi etiam cultus nō præceptos, eos intelligi qui ſint etiam prohibiti, ſi ſemel in vno loco tales intelligantur. Atqui neque ego tali conſequentia vtor: ſed Scripturæ phraſim oſtendo, vt appareat nō eſſe alienum ab ea, quod aliis argumentis & teſtimoniis conuinco, nempe vbi cultus non præcepti damnari videntur, non eos intelligi, qui tantummodo præcepti non ſunt, ſed qui ſint etiam impij per ſe ac prohibiti. Neq; ſemel tantùm ea prhaſis in illo loco vſurpatur, ſed ſæpius* Deuter. 18. *repetitur. Propheta autem, inquit, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego* NON PRÆCEPI *vt diceret,*

aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.] *Et apud Hieremiam: Repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum. Et ædificauerunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim:* QVÆ NON PRÆCEPI, NEC LOQVVTVS SVM.] *Ergo quod prohibitum etiam eſt, dici ſolet in Scriptura nō præceptum. Itaque fateor, qui cultus hac phraſi non præcepti appellantur, eſſe illicitos; quia prohibiti ſunt.* Hierem. cap. 19.

Sed ais, huiuſmodi phraſim congruere cum illo loco: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, vbi expreſſe prohibuit Dominus ne quidquam addant, damnauitq́ oẽs adinuentiones humanas.] *Optimè verò. Si enim eiuſmodi inuentiones prohibuit addere, quales in aliis locis, vt vidimus, vſitata illa phraſi dicit ſe non præcepiſſe: intelligere licet cuiuſmodi cultus voluntarios addere prohibuerit; nimirum, vt expoſuimus, qui etiam ſint contra præceptum, quales, ſecundùm illam phraſim, non præcepti dicuntur. Non igitur omnes omnino cultus voluntarij, ſunt, vt verboſiſſimè dicis, generatim prohibiti, hoc ipſo quòd diuinitus non ſint præcepti; ſed qui tales ſint quales illi, quos Deus* Fol. 104. & 105. Deuter. 12. Fol. 105. & 106.

dicit

dicit ſe nõ præcepiſſe; vt adorare Solem & Lunam, comburere filios igni in holocauſtum, & ſimiles, quorum ratio pugnet cum naturali lege & diuina. Alioqui ſi legi mentis, hoc eſt, rectæ rationi conſentanei ſunt, plantatio erũt quam etiam plantauerit Deus, qui mentem
Fol. 107. *hominibus & rationem indidit, ideóque non eradicandi.*

Ad Rõ. 14 *At hîc ſententiam illam Apoſtoli obiicis: Omne quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt.] Quaſi non ſit ſenſus, omne quod adeò non eſt ex fide vt etiam ex infidelitate procedat; vel, omne quod fit conſcientia contradicente aut dubia, (vt ego aliâs interpretatus ſum) peccatum eſſe: Sed ea tantùm eſſe agenda, de quibus ex verbo Dei certiſſimus. Id enim ex fide fit; cùm fides ſit ex auditu per Dei verbum. Vnde concludis, omnem cultum, qui ſine præcepto diuino, per fidem atque adeò per verbum Dei manifeſto, ſuſcipitur, eſſe peccatum. Dic mihi Herbrande, ad ſolos ne cultus illa ſententia (omne quod non eſt ex fide, &c.) pertinet, an ad omnes omnino vitæ actiones? Ad omnes proculdubio. Nam, Omne dicit. Quod ſi de omnibus vitæ officiis communiter loquitur, minimè profecto ex ea*

ſenten-

ſententia colligi poteſt ad bonitatem cultus requiri aliquid, quod non idem requiratur ad aliarum vitæ actionum rectitudinem. Ex quo, ſentis opinor, quid velim concludere. Nam es à me aliâs fateri coactus, non eam eſſe huius Apoſtolicæ ſententiæ vim, vt omnes omnino vitæ actiones oporteat ſpeciali Dei præcepto & commendatione approbari. Ita fit, vt non niſi abſurdiſſimè ex ea ſententia nunc probes ſpeciali Scripturæ approbatione & præcepto diuino cultus indigere vt ſuſcipiantur rectè. Sed quod ad huius loci interpretationem attinet, aliâs te redargui; oſtendiq́ falſum eſſe quod hic repetis, alterutrũ neceſſarium eſſe, nempe vt actio aliqua aut ex fide, aut ex infidelitate ꝓcedat. Poſſunt enim actiões eſſe moraliter bonæ, quæ neq́ ex fide fiant, neque etiam ad finem infidelitatis prauum referantur, quod eſt non fieri etiam ex infidelitate. Quanquam niſi cum fide coniunctæ ſint, non proderunt quidem ad ſalutem, neque ita placebunt aut acceptæ erunt Deo, vt actiones aliæ, quæ fide viua perficiuntur. Hoc tu tantummodo præter rem probas, cùm dicis: ſi perſona non ſit in gratia per fidem in Chriſtum, nec opus placet quantumuis ſpecioſum.]

In confutat. Spong. c. 6.

Fol. 108.

In Apolog. & confut. cap. 6.

Ideo

Marci 16. Ioan. 3. *Ideo etiam verè dictum eſt, qui crediderit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Nimirum quia ſi quis fide careat, quamuis aliqua ſecundùm naturalem legem nõ mala efficere poſsit, non tamen præſtabit quod eſt neceſſe, ne propter peccatum originis, aut etiam alia condemnetur.*

Fol. 110. Leuit. 10. *Quod præterea contra ſpontaneos cultus obiicis, Nadab & Abihu igni conſumptos eſſe, quia obtulerint coram Domino ignem alienũ, quod eis, vt Scriptura inquit, præceptum non erat, nihil te iuuat. Nam, non præceptum vſitata Scripturæ ſacræ phraſi ibi dicitur, quod erat diuinitus prohibitum. Vnde Abulenſis:* q. 4. in 10. cap. Leuit. *Si Deus, inquit, non iuſsiſſet de quo igne offerrent coram ipſo in altari thimiamatum, ſed ſimpliciter protuliſſet, quòd offerrent ignem & incenſum; quamuis offerrent ignem alienum, non peccarent. Sed eſt ſenſus, quòd Deus nõ præceperit offerre ſacerdotibus de illo igne, id eſt, quòd vetuerit offerre de illo.*] Fol. 110. *Sed, quæro, inquis, vbi & qua lege prohibitum illis fuerit ne aliundè accenſo igne adolerent & incenſum offerrent Domino?*] Leuit. 6. *Reſpondeo: Vbi ſunt ſacrum ignem iuſsi perpetuò conſeruare ac fouere*

uere in Altari; vtiq; vt ille ſolus vſurparetur ad cultum, atque adeò etiam ad oblationes incenſi & aromatum. Quod enim ad oblationes eiuſmodi ille quoq; ignis vſurpari debuerit ſatis indicat quod alibi etiam dicitur: Aſſumtoq́; thuribulo quod de prunis altaris IMPLEVERIT, *& hauriens manu compoſitum thimiama in* INCENSVM *vltra velum intrabit in Sancta; vt poſitis ſuper ignem aromatibus nebula eorũ & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium & non* MORIATVR.] *Hinc apparet neceſſariò de altaris igne ad oblationem incenſi ſumendum fuiſſe, & quidem ſub comminatione mortis, quam Nadab & Abihu qui ſunt alio igne vſi incurrerunt. Sic & ad alias cæremonias non niſi ille ignis adhibendus erat. Omne, inquit, Sacrificium, ſacerdotum igne conſumetur, &c,]* Leuit. 16. Leuit. 6.

Locum Baſilij, vbi non oportere dicit voluntatem propriam approbare præter voluntatem Dei, ſed in omni negotio quærere & facere voluntatem Dei; ſic interpretatus ſum, vt dixerim, aut voluntatem propriam hic dãnare Baſilium, quatenus cum voluntate Dei pugnat, vt in illis quos ex Apoſtolo ibidem com- Summa 12. cap. 4.

G *memo-*

memorat verſatos eſſe aliquando in concupiſcentiis carnis ſuæ facientes VOLVNTATEM *carnis et cogitationum ſuarum; vel certè ſignificare Baſilium, minus laudabile eſſe id, quod voluntate propria geritur, tametſi alioquî liceat, quàm quod obedienter ſuſcipitur ex voluntate aliena. Hanc interpretationem iſte nec probauit, nec oppugnauit, nec retulit fideliter.* Fol. 111. *Sed aſſeuerauit me Baſilÿ locum corrumpere: quia non ea ſolùm damnet, quæ ita ſint præter voluntatem Dei, vt ſint etiam contra, & pugnent cum illa, ſed ſimpliciter, quæ ſpeciali expreſſaq́; approbatione diuinæ voluntatis carent. Obſtat autem primò, quòd tunc ſententiâ Baſilÿ non ad cultuum tantummodo, ſed ad omnium vitæ actionum rectitudinem neceſſaria eſſet ſignificatio ſpecialis diuinæ voluntatis: quod tamen ne iſte quidem, vt ſupra notaui, requirit. Ait enim Baſilius: In* OMNI *negotio quærendam eſſe voluntatem Dei non propriam ſequendam. Deinde ipſe Baſilius maniſeſtiſſimè, vbi in eandem ſententiam repetit, oportere eſſe abalienatum à propriis voluntatibus, declarat, illa ſolum eſſe damnanda, quæ ita ſunt præter voluntatem diuinam, vt ſint*

etiam

etiam diuinitus prohibita. Sic enim inquit: Quandoquidem ex rebus, quæ inter nos verſantur, aliqua ſunt à mandato Domini in ſancta Scriptura diſtincta, aliqua verò ſilentio pterita, de his, quæ ſcripta ſunt, nulla poteſtas omnino vlli alicui data eſt, vt faciat quid PROHIBITVM, *aut relinquat aliquid* PRÆCEPTVM, *cùm Dominus ſemel præceperit ac dixerit: Et ſeruabis verbũ, quod præcipio tibi hodie, non* APPONES *ad ipſum, & non* DETRAHES *ab ipſo.*] *Quid manifeſtiùs, quàm hic à Baſilio vnum & idem cenſeri quod ad verbum & voluntatem Dei* APPONENDVM *non eſt, & quod eſt diuinitus* PROHIBITVM? *Tum ſubiungit: Cæterum de iis, quæ ſilentio (in Scriptura) præterita ſunt, regulam expoſuit nobis Apoſtolus Paulus, tùm ait: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* OMNIA *mihi licent, ſed non omnia ædificant.*] *His certè verbis generatim etiam Baſilius ex Apoſtoli ſententia ſignificat, nihil eorum, quæ diuinitus, neque præcepta neq; prohibita ſunt, eſſe, quod non per ſe liceat, tametſi non omnia expediant, quæ ſunt eiuſmodi. Sed ait hîc Herbrandus Baſilium, cùm dicit, quædam man-*

In quæſtionibus cõp. explic. ad q. 1.

Deuter. 6.

1. Ad Corinth. 10.

Fol. 112.

poſſe ſicut oportet vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.] Quis non videt his locis condemnari Pelagianorum errores à te memoratos?

Fol. 87. *Docuit Tatianus, inquis, non minus Deo diſplicere coniugium quàm ſcortationem. Vos vt Tatianum & Encratitas ſuperaretis, ſacerdotem ducentem vxorem grauius peccare aſſeritis quàm ſcortantem aut adulterantem.] Nimirum, Herbrande, quoniam, vt antea expoſui, non coniugium ſed ſacrilegium eſt id facinus ſacerdotum. Sacrilegium autem grauius peccatum eſſe ſcortatione aut adulterio quis neſcit? Non igitur coniugiū vt Tatiani, ſed ſacrilegiū damnamus. Nec diſſimilis calumnia eſt, quòd ais, nos commutatis tantùm nominibus innumerā Deorum turbam fingere, vt Valentinianos. Quid doctrina de ſanctorum inuocatione ad Valentinianorum phantaſmata, & portenta Deorum, vt apud Irenæum videre* Lib. 1. contra hæreſes. *eſt, intelligibilium? Sed hac de re dictum eſt in Apologetico & Confutatione tua Spongia plus ſatis.* Vide cap. 6. & 7. *Vbi etiam oſtenſum eſt à Colliridianorum idololatria, qui beatæ Virgini tanquam numini alicui offerebant, longiſſimè eum honorem*

dif-

differre quem illi nos reliquiſque ſanctis habemus.

De primatu Petri, quē hîc obiter argumentis veſtris marcidiſſimis oppugnas, nolo diſputare in alieno loco. Tãtùm quòd ad Gregorij locum attinet vbi titulum vniuerſalis Epiſcopi exagitat, Lector mihi admonendus eſt vt diligenter animaduertat, confiteri tandem te quod manifeſtè demonſtraui, Gregorium videlicet officium & rem ipſam vniuerſalis Epiſcopi minime damnare illic, ſed confirmare potius illud eſſe Petro à Chriſto commiſſum. Hoc enim ſi verum eſt, vt eſt ſanè ex ipſo Gregorij loco perſpicuum, neceſſe eſt quoque fateamini, cùm Gregorius illic in titulum nihilominus Epiſcopi vniuerſalis inuehitur, non ipſum nomen improbare, ſed vanitatem in eo aut ſchiſmaticè ſibi arrogando aut etiam iactãdo gloriosè. Quî enim titulum per ſe improbaret ac nomē, cùm rem officiumq́; nomine ſignificatum confirmet, vt fateris? At Gregorius, inquis, ita dicit: Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præuenit, quia ſuperbiendo, ſe cæteris opponit.] Omnino neceſſe

Fol. 88. &c.

Fol. 91.

In explicat. ver. cau. fol. 39.

In epiſtola ad Mauritiũ Imperat. cõtra Ioãnem Patriar. Cõſtant. Habetur, lib. 4. epiſt. ex Regiſtro c. 76.

eſt alterutrum concedere: vt vel officium vniuerſalis Epiſcopi ſeu ſacerdotis, vel vanitatē in iactando eo nomine præſertim ſchiſmaticè (vt ille Ioannes Conſtantinopolitanus cōtra quem illic agitur) damnet Gregorius his verbis. Non enim eſt tertium; cùm nominis vſus per ſe, quando res eſt bona, malus eſſe non poſsit. Atqui officium ipſum vniuerſalis Epiſcopi Gregorius non damnat, ſed potius ibidem multis argumentis probat, (vt fateris;) confirmatq́ ad Romanum Pontificem, cui etiam titulum vniuerſalis Epiſcopi à Calcedonenſi Synodo tributum eſſe commemorat, pertinere. Reliquum eſt igitur vt ſolam vanitatem atque ambitionem in iactando eo nomine Gregorius ibi condemnet, ſicut eſt expoſitum.

1. Reg. 15. *Dixi præterea non cenſuiſſe Samuelem idololatriam eſſe non obedire, quemadmodum iſte falsò citauerat, ſed quaſi peccatum idololatriæ: Et rectè ſic vertiſſe de Hebraico vulgatum interpretem. Nam coniunctionem* ו *vbi Hebraicè legimus* ותרפים *tantundem ſæpè ſignificare quantum particulam* כ *id eſt, ſicut vel quaſi. Hoc iſte negat, mirabiliterq́ hoc loco more ſuo nugatur. Sed exempla ſuppetunt mihi per-*

perſpicua, quorum vnum ipſe etiam imprudēter commemoraſti. Agnoſcis enim particulam ו *valere tantundem aliquando quantum particulam* S I C. *Vt Prouerb. 25. Aquæ frigidæ ſuper animam feſſam* S I C *nuncius bonus de terra lōginqua. Hebraicè habetur* וּשְׁמוּעָה. *An non hîc particula* ו *eſt comparatiua? Item Prouerbiorum 27. Vnguentum & ſuffitus exhilarabit cor,* S I C *dulcedo amici propter conſilium animæ: Hebraicè:* וּמֶתֶק. *Item Prouerb. 26. Oſtium voluetur in cardine ſuo* S I C *piger in lecto ſuo. Hebraicè:* וְעָצֵל. *Nullum certè dubium eſt, quin* ו *in his locis particula ſit comparatiua, quæ proinde valeat, quod ad rem attinet, tantundem quantum particula ſicut, vel quaſi. Imo, ſi verbum è verbo reddamus, cùm Hebraicè in his locis nōn habeatur:* V T *aquæ frigidæ &c: nec,* V T *vnguentum & ſuffitus etc: nec,* V T *oſtium voluetur &c: Sed ſimpliciter, ſine præcedente aliqua particula comparatiua dicatur: Aquæ frigidæ &c: &, Vnguentum &c; &, Oſtium, &c. pro particula* ו *quæ poſtea ſequitur, particulam etiam* S I C V T *expreſsè ſubſtituere poſſumus. Vt ſit ſenſus: Aquæ frigidæ ſuper animam feſſam* SICVT *nuncius bonus*

de terra longinqua, &c. Etenim particula Sic *propriè particulam* Vt *vel* Sicvt *præcedentem requirit. Vt ſi diceremus: Sicut, vel, vt aquæ frigidæ &c. Sic nuncius bonus &c. Hebraicus autem textus non ſic habet ad verbum.*

Deinde hunc vocis vſum ex eo item confirmaui, quod Chaldeus Paraphraſtes in verſione illius ſententiæ Samuelis ex Hebraico, dictione eſt etiam vſus comparatiua. Quod miror ab
Fol. 94. *iſto negari, cùm ex ea ipſa verſione, quam ipſe etiam recitat, manifeſtiſſimè conſtet. Sic enim habet: Vt peccata populi, qui errat poſt idola:* Sic *peccatum omnis hominis, qui addit ſuper*
Fol. 95. *verba Prophetæ.*] *Hic, inquit Herbrandus, ab Hiſpano oculatiſſimo monſtrari mihi cuperem, Quaſi.*] *Quid? Adeò cares oculis vt in hac Paraphraſtica verſione non videas* Vt *&* Sic, *quæ ſunt etiam particulæ comparatiuæ & tantundem valent quantum particula Quaſi? Age, locum verbis Chaldaicis deſcribamus.*

וּכְחוֹבֵי עַמָּא דְּטָעַר בָּתַר טָעוּתָא כֵּן חוֹבֵי כָל־אֱנָשׁ דְּמוֹסִית עַל מִילֵּי נְבִיָּא׃

Aperi oculos Herbrande, & quam à me requiris hic particulam aſpice, nempe כְּ *id eſt, quaſi.*

Labo-

Laborat hìc poſtremo ne vidaetur vllo modo dixiſſe quod eſt veriſsimum, quodq́; ego, non ſine ratione, vt anteà oſtenderam, voluiſſe ipſum dicere, ſum arbitratus: nempe veram legitimamq́; Chriſti Eccleſiam eſſe infallibilem quoque fidei regulam, quæ videlicet abſq́; vllo errore proponat nobis quid credẽdum ſit. Sed quanquàm rationem cur ego ita intellexerim te dicere, non ſatis Lectori oſtendas, ex his ipſis tamen, quæ verboſiſsimè conuicioſiſsimeq́; hoc loco dicis, intelliget, nihil à me peccatum contra te eſſe, quòd ex verbis tuis ſententiam collegerim, quæ eſt veriſsima. Summa enim quæſtionis eſt, an vbi dixiſti: In Theologia ſyncera, et vera Chriſti Eccleſia in terris; verbum ſyncera ad Theologiam referendum fuerit, vt ais te voluiſſe, an ad veram Chriſti Eccleſiam, vt ego propter rationes, quas antea expoſui, putaui te velle. Et infra fateris veram Eccleſiam columnam dici veritatis: quia agnoſcit & retinet veram & certam doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, ſuper quorum fundamẽtum eſt ædificata.] Si certam doctrinam Eccleſia vera retinet, neque in ea re labi errore poteſt, certam igitur doctrinam infallibiliter Fol. 96. & ſeq. Fol. 99.

nobis proponit: atque adeò regula nobis credendi infallibilis eſt; non tanquàm ipſa ſit prima veritas, ſed tanquàm magiſtra certè infallibiliter nobis indicans eam doctrinam, quæ authoritate nititur primæ veritatis; ſic enim intelligimus. Quod autem negas veram Chriſti Eccleſiam retinentem hoc modo certam doctrinam eſſe Eccleſiam, quæ Romano Pontifici paret, alia quæſtio eſt, in qua non minus facilè quàm in reliquis de errore conuincimini, vt aliâs, ſi Deus voluerit, oſtendemus. Nunc quid tu de vera Chriſti Eccleſia, quæcumque illa ſit, ſentias tantummodo quærebatur.

II.

Fol. 100. & ſeq. REPETIS *deinde ob eam etiam cauſam te mecum diſputare ampliùs noluiſſe, quoniam principium negem in Theologia firmiſſimum, nempe cultus non eſſe ſponte vſurpandos abſque Dei præcepto. Quod ego non principium certum, ſed vaniſſimum eſſe commentum cenſui, ac ita demonſtraui, vt nihil iam ex Scriptura pro ea vanitate opinionis confirmanda afferas quod non ſæpiùs ex eadem Scriptura diluerim.*

Vide in Apologet. & *Quod ſi Vatablus, quem mihi citas, vobiſcum has*

hac in re ſenſit, vobiſcum errauit. Nam cùm Scriptura voluntarios cultus non præceptos damnat, eos intelligit, qui adeò præcepti non ſunt, vt ſint etiam diuinitus prohibiti. Hoc ex phraſi Scripturæ in aliis locis, & ex iis ipſis teſtimoniis, quæ ad opinionem veſtram perperam detorquetis, aliquoties oſtẽdi. Verba enim illa: Quod præcipio tibi hoc tantum facito, &c. hæc verba proximè antecedunt: Non facies ſimiliter (vt Gentes) Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas accuſatur Dominus fecerunt Diis ſuis offerentes filios & filias & comburentes igni. Quod præcipio tibi, &c.] Ad has & ſimiles abominationes, illæ quoque ſententiæ pertinent: Perdet te Dominus velociter propter adinuentiones tuas peſſimas, in quibus reliquiſti me.] Et: Dimiſi eum ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.] Et: Vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.] Et: Irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, &c.] Impios, inquam, cultus gentium ab Iſraëlitis vſurpati, non autem vt iſte ſomniat, ÿ, qui cum iuſta ratione congruant, tantumq́ diuinitus præcepti non ſint, hîc damnantur. Ita Chriſtus, cùm reprehendit

cõfut. Spõg. cap. 2. Item in tract. de ſacrificio, cap. 4. in reſpon. ad argum. cõtra probationem 3.

Deuter. 12.

Deuter. 28.

Pſal. 80.

Pſal 98.

Pſal. 105.

man-

aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.] *Et apud Hieremiam: Repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentum. Et ædificauerunt excelſa Baalim, ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim:* QVÆ NON PRÆCEPI, NEC LOQVVTVS SVM.] *Ergo quod prohibitum etiam eſt, dici ſolet in Scriptura nō præceptum. Itaque fateor, qui cultus hac phraſi non præcepti appellantur, eſſe illicitos; quia prohibiti ſunt.* Hierem. cap. 19.

Sed ais, huiuſmodi phraſim congruere cum illo loco: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, vbi expreſſè prohibuit Dominus ne quidquam addant, damnauitq́; oēs adinuentiones humanas.] *Optimè verò. Si enim eiuſmodi inuentiones prohibuit addere, quales in aliis locis, vt vidimus, vſitata illa phraſi dicit ſe non præcepiſſe: intelligere licet cuiuſmodi cultus voluntarios addere prohibuerit; nimirum, vt expoſuimus, qui etiam ſint contra præceptum, quales, ſecundùm illam phraſim, non præcepti dicuntur. Non igitur omnes omnino cultus voluntarij, ſunt, vt verboſiſſimè dicis, generatim prohibiti, hoc ipſo quòd diuinitus non ſint præcepti; ſed qui tales ſint quales illi, quos Deus* Fol. 104. & 105. Deuter. 12. Fol. 105. & 106.

dicit

dicit ſe nō præcepiſſe; vt adorare Solem & Lunam, comburere filios igni in holocauſtum, & ſimiles, quorum ratio pugnet cum naturali lege & diuina. Alioqui ſi legi mentis, hoc eſt, rectæ rationi conſentanei ſunt, plantatio erũt quam etiam plantauerit Deus, qui mentem

Fol. 107. *hominibus & rationem indidit, ideóque non eradicandi.*

Ad Rō. 14 *At hîc ſententiam illam Apoſtoli obiicis: Omne quod nō eſt ex fide, peccatum eſt.] Quaſi non ſit ſenſus, omne quod adeò non eſt ex fide vt etiam ex infidelitate procedat; vel, omne quod fit conſcientia contradicente aut dubia, (vt ego aliâs interpretatus ſum) peccatum eſſe: Sed ea tantùm eſſe agenda, de quibus ex verbo Dei certiſſimus. Id enim ex fide fit; cùm fides ſit ex auditu per Dei verbum. Vnde concludis, omnem cultum, qui ſine præcepto diuino, per fidem atque adeò per verbum Dei manifeſto, ſuſcipitur, eſſe peccatum. Dic mihi Herbrande, ad ſolos ne cultus illa ſententia (omne quod non eſt ex fide, &c.) pertinet, an ad omnes omnino vitæ actiones? Ad omnes proculdubio. Nam, Omne dicit. Quod ſi de omnibus vitæ officiis communiter loquitur, minimè profecto ex ea*

ſenten-

ſententia colligi poteſt ad bonitatem cultus requiri aliquid, quod non idem requiratur ad aliarum vitæ actionum rectitudinem. Ex quo, ſentis opinor, quid velim concludere. Nam es à me aliâs fateri coactus, non eam eſſe huius Apoſtolicæ ſententiæ vim, vt omnes omnino vitæ actiones oporteat ſpeciali Dei præcepto & commendatione approbari. Ita fit, vt non niſi abſurdiſsimè ex ea ſententia nunc probes ſpeciali Scripturæ approbatione & præcepto diuino cultus indigere vt ſuſcipiantur rectè. Sed quod ad huius loci interpretationem attinet, aliâs te redargui; oſtendiq; falſum eſſe quod hic repetis, alterutrũ neceſſarium eſſe, nempe vt actio aliqua aut ex fide, aut ex infidelitate pcedat. Poſſunt enim actiões eſſe moraliter bonæ, quæ neq; ex fide fiant, neque etiam ad finem infidelitatis prauum referantur, quod eſt non fieri etiam ex infidelitate. Quanquam niſi cum fide coniunctæ ſint, non proderunt quidem ad ſalutem, neque ita placebunt aut acceptæ erunt Deo, vt actiones aliæ, quæ fide viua perficiuntur. Hoc tu tantummodo præter rem probas, cùm dicis: ſi perſona non ſit in gratia per fidem in Chriſtum, nec opus placet quantumuis ſpecioſum.]

In confutat. Spong. c. 6.

Fol. 108.

In Apolog. & confut. cap. 6.

Ideo

Marci 16. Ioan. 3. *Ideo etiam verè dictum eſt, qui crediderit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Nimirum quia ſi quis fide careat, quamuis aliqua ſecundùm naturalem legem nõ mala efficere poſſit, non tamen præſtabit quod eſt neceſſe, ne propter peccatum originis, aut etiam alia condemnetur.*

Fol. 110. Leuit. 10. *Quod prætereà contra ſpontaneos cultus obiicis, Nadab & Abihu igni conſumptos eſſe, quia obtulerint coram Domino ignem alienũ, quod eis, vt Scriptura inquit, præceptum non erat, nihil te iuuat. Nam, non præceptum vſitata Scripturæ ſacræ phraſi ibi dicitur, quod erat diuinitus prohibitum. Vnde Abulenſis:* q. 4. in 10. cap. Leuit. *Si Deus, inquit, non iuſſiſſet de quo igne offerrent coram ipſo in altari thimiamatum, ſed ſimpliciter protuliſſet, quòd offerrent ignem & incenſum; quamuis offerrent ignem alienum, non peccarent. Sed eſt ſenſus, quòd Deus nõ præceperit offerre ſacerdotibus de illo igne,* Fol. 110. *id eſt, quòd vetuerit offerre de illo.*] *Sed, quæro, inquis, vbi & qua lege prohibitum illis fuerit ne aliundè accenſo igne adolerent & incen-* Leuit. 6. *ſum offerrent Domino?*] *Reſpondeo: Vbi ſunt ſacrum ignem iuſſi perpetuò conſeruare ac fo-*

uere

uere in Altari; vtiq; vt ille ſolus vſurparetur Leuit. 16.
ad cultum, atque adeò etiam ad oblationes incenſi & aromatum. Quod enim ad oblationes eiuſmodi ille quoq; ignis vſurpari debuerit ſatis indicat quod alibi etiam dicitur: Aſſumtoq́; thuribulo quod de prunis altaris IMPLEVERIT, *& hauriens manu compoſitum thimiama in* INCENSVM *vltra velum intrabit in Sancta; vt poſitis ſuper ignem aromatibus nebula eorũ & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium & non* MORIATVR.] *Hinc apparet neceſſariò de altaris igne ad oblationem incenſi ſumendum fuiſſe, & quidem ſub comminatione mortis, quam Nadab & Abihu qui ſunt alio igne vſi incurrerunt. Sic & ad alias cæremonias non niſi ille ignis adhibendus erat. Omne, inquit, Sacrificium, ſacerdotum igne conſumetur, &c,]* Leuit. 6.

Locum Baſilij, vbi non oportere dicit voluntatem propriam approbare præter voluntatem Dei, ſed in omni negotio quærere & facere voluntatem Dei; ſic interpretatus ſum, vt dixerim, aut voluntatem propriam hic dãnare Baſilium, quatenus cum voluntate Dei pugnat, vt in illis quos ex Apoſtolo ibidem com- Summa 12, cap. 4.

memorat verſatos eſſe aliquando in concupiſcentiis carnis ſuæ facientes VOLVNTATEM *carnis et cogitationum ſuarum; vel certè ſignificare Baſilium, minus laudabile eſſe id, quod voluntate propria geritur, tametſi alioqui liceat, quàm quod obedienter ſuſcipitur ex voluntate aliena. Hanc interpretationem iſte nec probauit, nec oppugnauit, nec retulit fideliter.*

Fol. 111. *Sed aſſeuerauit me Baſilij locum corrumpere: quia non ea ſolùm damnet, quæ ita ſint præter voluntatem Dei, vt ſint etiam contra, & pugnent cum illa, ſed ſimpliciter, quæ ſpeciali expreſſaq; approbatione diuinæ voluntatis carent. Obſtat autem primò, quòd tunc ſententiâ Baſilij non ad cultuum tantummodo, ſed ad omnium vitæ actionum rectitudinem neceſſaria eſſet ſignificatio ſpecialis diuinæ voluntatis: quod tamen ne iſte quidem, vt ſupra notaui, requirit. Ait enim Baſilius: In* OMNI *negotio quærendam eſſe voluntatem Dei non propriam ſequendam. Deinde ipſe Baſilius maniſeſtiſſimè, vbi in eandem ſententiam repetit, oportere eſſe abalienatum à propriis voluntatibus, declarat, illa ſolum eſſe damnanda, quæ ita ſunt præter voluntatem diuinam, vt ſint*

etiam diuinitus prohibita. Sic enim inquit: Quandoquidem ex rebus,quæ inter nos vertuntur,aliqua ſunt à mandato Domini in ſancta Scriptura diſtincta, aliqua verò ſilentio pterita,de his, quæ ſcripta ſunt, nulla poteſtas omnino vlli alicui data eſt, vt faciat quid PROHIBITVM,*aut relinquat aliquid* PRÆCEPTVM,*cùm Dominus ſemel præceperit ac dixerit:Et ſeruabis verbũ, quod præcipio tibi hodie, non* APPONES *ad ipſum, & non* DETRAHES *ab ipſo.*] *Quid manifeſtiùs, quàm hic à Baſilio vnum & idem cenſeri quod ad verbum & voluntatem Dei* APPONENDVM *non eſt, & quod eſt diuinitus* PROHIBITVM? *Tum ſubiungit: Cæterum de iis, quæ ſilentio(in Scriptura) prætérita ſunt,regulam expoſuit nobis Apoſtolus Paulus, tùm ait: Omnia mihi licent,ſed non omnia expediunt.* OMNIA *mihi licent,ſed non omnia ædificant.*] *His certè verbis generatim etiam Baſilius ex Apoſtoli ſententia ſignificat, nihil eorum,quæ diuinitus,neque præcepta neq; prohibita ſunt, eſſe, quod non per ſe liceat, tametſi non omnia expediant,quæ ſunt eiuſmodi. Sed ait hîc Herbrandus Baſilium, cùm dicit, quædam man-*

In quæſtionibus cōp. explic. ad q.1.

Deuter. 6.

1. Ad Corinth. 10.

Fol. 112.

dato diuino præſcripta eſſe; quædam in Scriptura ſilentio præterita quæ liceat etiam facere, non comprehendere etiam cultus: agere enim de rebus quæ inter nos, vt inquit, vertuntur.] *Quaſi verò non etiam inter nos vertantur, & ad nos pertineant quæſtiones de cultu officiisq́ ad cultum ſpectantibus. Omnino de rebus omnibus, quæ vſurpari & controuerti poſſunt agit. Has generali diuiſione partitur in eas, quæ præcepto diuino conſtitutæ ſunt, & eas quæ ſunt in Scripturis ſilentio præteritæ. Quæſtio enim eſt à Baſilio generalis de omni vitæ officio propoſita: An liceat aut expediat alicui, vt ſibi ipſi permittat* FACERE *aut* DICERE QVÆ BONA PVTAT, *citra teſtimonium diuinarum ſcripturarum?*] *Ad eam quæſtionem generali quoque partitione, quæ ad omnia omnino officia vitæ pertinet, Baſilius reſpondet, alia eſſe diuinitus præſcripta, & in his prorſus eſſe diuimo mandato parendum; alia ſilentio præterita, in quibus Apoſtolica regula vtendum ſit, Omnia mihi licent, &c. Quæro enim quod putes Herbrande eſſe genus illarum rerum, quæ inter nos vertuntur, quas ſolas ita diuidat Baſilius? Num adiaphoras, de*

quibus

quibus interpretaris quod ait Apoſtolus, Omnia mihi licent, &c? At res adiaphoræ nullæ Fol. 112. *ſunt diuinitus præceptæ: ex rebus autem, quas Baſilius diuidit quædã ſunt, vt ille docet præcepta diuinitus. Neq; ſi de adiaphoris tantùm rebus, aut omnino de genere tantum aliquo rerum & non de omni vitæ officio Baſilius reſpondiſſet, ſatisfeciſſet quæſtioni propoſitæ, quæ fuit vt vidimus generalis: Quid ſcilicet faciẽdũ cum quis rectum aliq̃d eſſe exiſtimat, de quo ſcriptura tacet. Conſtat itaq; ex ſententia Baſilÿ neq; in cultu, neq; in vllo genere actionis aliquid eſſe prauum ideo ſolùm quia diuinitus præceptum non ſit.*

Sic neq; id voluit Tertulianus, cum contra Lib. vnico contra Hermog. circa medium. *Hermogenem diſputans concluſit, non ex aliqua materia æterna increata Deum fabricauiſſe mundum; quia in eo loco vbi circumſtantiæ hiſtoriæ poſtulabãt, vt eius rei, ſi ita ſe ſe habet, mentio etiam fieret, nihil tale ſcriptura memorat. Ita, inquit, quod non fuit non potuit ſcriptura profiteri, & non profitẽdo ſatis probauit non fuiſſe, quia profiteretur, ſi fuiſſet.] Cur in hac diſputatione & materia propriè, meritò ita fuerit argumentatus Tertullianus, ne-* Fol. 113.

què inde licere (ſicut iſte vult) generalem theſim facere, vt quidquid ſcriptura non explicat aut probat expreſſè, putemus ſimiliter aut non eſſe, aut non eſſe rectũ; clariſſimè ex ipſius Tertuliani ſententia & verbis in explicatione cauſarum oſtendi. Tantùm enim abeſt, vt eum modum argumenti in omni quæſtione vſurpari debere Tertulianus ſenſerit; vt etiam monuerit eum non ſtatim & ex æquo (vtor ipſius verbis) admitti poſſe, vbi diuerſitas cauſæ eſt.] Hæc iſte omnia nunc diſſimulat, tantumq; refert dixiſſe me, Tertulianum tantùm diſputare contra Hermogenem, Deum non ex aliqua æterna materia feciſſe omnia, quia, vbi de creatione agitur, nihil tale ſcriptura memoret.] Tùm, quaſi nihil aliud ego dixiſſem, nec aliter probauiſſem eum argumentandi modum vbiq; vſurpari non debere, addit: Hactenus Hiſpanus.] Sed Lector videre debet, quid prætereà Hiſpanus ex Tertuliani loco ad Lutheranum iſtum de fraude & corruptela conuincendum differuerit, ſi non vult falli ab Herbrando.

Fol. 113. (beside line "fert dixiſſe me")

In explicat. cauſ. fol. 49. & 50.

Iam Epiphanius, cùm contra Colliridianos diſputans quærit, Quis prophetarum præceperit hominem adorari; cultum exagitat adeò

non

non præceptum vt ſit etiam prohibitus, nempe idololatricum planè, quo illi, imagini beatæ Virginis non ſecus ac numini cuidam adorationem latriæ impendebant, vt aliàs reſpondi. Hanc autē idololatriam cùm adeò non præceptam eſſe dico, vt ſit etiam prohibita, minimè honorē eum intelligo, qui iam beatiſſimæ Virgini conuenientiſſimè in Eccleſia tribuitur, vt iſte hoc in loco leuiſſimè nugatur. Honor enim hic longè ab illo cultu, quem Colliridiani vſurpabant, differt; ſiquidem non adoratio religionis eſt, ſeu latriæ, vt erat ille, ſed obſeruantiæ, quæ diuerſa eſt virtus, tribuitq́ reuerentiam excellentibus creaturis. Hanc obſeruantiæ venerationem Mariæ per imaginē exhibere non vetat Epiphanius, ſed illā latriæ, qua colatur pro Deo. Id ex Epiphanij diſputatione patet. Quædam mulieres, inquit ille, currum quendam ornantes expanſo ſuper ipſum linteo in die quadam illuſtri anni per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ.] Item hunc errorem arguens: Reuera ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera Virgo erat ipſa Virgo honorata, ſed non ad adorationem nobis data.] Et: Quis Prophetarum

Fol. 115. & 16.

Hæreſi 79. contra Colliridianos, li. 3. tom. 2.

præcepit hominem adorari nedum mulierem? Eximium equidem eſt vas, ſed mulier et nihil à natura immutata.] *Latriæ igitur adorationem, & Sacrificium quoque Mariæ deferre, non præceptum, id eſt, prohibitum cenſet eſſe Epiphanius. Huiuſmodi autem cultum à nobis nulli Sanctorum deferri ſatis alibi expoſitum eſt.*

Vide in Apologet. & cõfut. Spõg. ca. 6 & 7.

III.

CVM *iſtorum cœnam, hoc eſt, conatum ſacrilegum in Euchariſtiæ prophanatione ab ipſis vſurpata, dixiſſem non Dominicam, ſed diabolicam propter impium & ab Eccleſia damnatum eorum ritum eſſe, obiecit iſte valde ridiculè me blaſphemauiſſe, ideoq; ſe ampliùs nolle diſputare mecum. Nam ſi maximè nos, inquit, & extra Eccleſiam, (quod eſt veriſsimũ) & hæretici eſſemus, an non nihilominus vera eſſent Sacramenta, quæ tractamus Chriſti obſeruata inſtitutione?*] *Hîc ego: Reſpondeo, inquam, plerique prædicantium non ſunt hæretici tantùm, ſed hæretici & laici, quò fit, vt Sacramentũ Euchariſtiæ verum ſecundùm Chriſti inſtitutionem minimè conficiant. Deinde, ſi maxi-*

Fol. 37. in explic. cauſ.

In explicat. verarũ cauſ. fol 54.

maximè eorum aliquis apoſtata, ab Eccleſia prius ordinatus, verum ſacramentum conficiat, tamen eius vſus, quem vocabulum cœnæ propriè ſignificat, planè eſt iſtis, propter eorum indignitatem pernicioſiſiſsimus, adeóque non minùs quàm proditori Iudæ diabolicus, in quem poſt buccellam intrauit Satanas. Nunc verò Fol. 218. & ſeq. *iſte ſimpliciorum oculos perſtringit teſtimoniis non neceſſariis, quibus oſtendit, Eccleſiam veram eſſe, quæ vocem Chriſti paſtoris ſui audit; quæ eſt fundata ſupra fundamentum Apoſtolorum; quæ nititur Petra id eſt Chriſto; quæ ſit in Canonicis ſcripturis indicata; quæ conſtet ex his hominibus qui de Chriſto capite à ſanctis Scripturis non diſſentiant, & Eccleſiæ veritati communicent; quæ voce paſtoris Chriſti commendetur; quæ non ſignis aut viſis fallacibus ſed Scripturæ teſtimoniis defendatur; Deniq; quæ nullam habeat doctrinam ab Apoſtolica diuerſam; quæq́; ex prædicatione verbi Dei tãquam ex incorruptibili quodam ſemine naſcatur atque augeſcat vbique terrarum. Hæc iſte de quibus nulla controuerſia eſt, quæque ideo probatione non egebant, Auguſtini, Ambroſij, Tertulliani, Theodoreti teſtimoniis prolixè vt*

 per-

perſtringat oculos, videaturq́; aliquid ad rem probare, confirmat. Se autem ac ſuos talem eſſe congregationem, qualem iam dictum eſt oportere eam eſſe, quæ ſit vera Eccleſia, (in quo cardo negocij vertitur) atq; adeò poteſtatem apud ipſos eſſe creandi legitimos miniſtros, qui verè conficiant Euchariſtiam; hoc inquam iſte aſſeuerat tantùm, non probat. Sed controuerſia de Eccleſia non eſt obiter tractanda. Quanquàm vix me contineo, quin in vos meritò regeram id, quod neſcio qua conſcientia dicis, Pontificios, id eſt, nos Eccleſiæ vnitatem ſcindere, quemadmodum olim Donatiſtæ, vniuerſalem, hoc eſt, per totum terrarum orbem diſperſam negantes.] An non hoc eſt crimen veſtrū? Nonne vos à communione fidelium, quæ per cunctū orbem eſt & conſpicua cernitur, ad antra neſcio, quæ VVittembergica, vel Saxonica, vel etiam Germanica diſceſſionem feciſtis, ſicut fecit olim pars Donatiſtarum africana? At, inquit, ad ſolum Pontificem Romanum, quem ſuæ Eccleſiæ caput faciūt, eumq́; cœtum, qui omnia eius amplectitur dogmata, alligant Eccleſiam atque ita Catholicam negantes particularem faciunt.] Nihil potuit obiici debilius. Neſcis

Fol. 119. (beside "cios, id eſt")

Fol. 119. (beside "quit, ad ſolum")

Her-

Herbrande eorum cœtum qui Romano Pontifici parent eſſe diſperſum per totum orbem? aut tam ſimplex es vt cœtum Romanum dici putes, quia tantùm ſit Romæ. Non ita debes intelligere, ſed quia Romanæ ſedis fides annunciatur (vt Apoſtolus de Romanis etiam ſcripſit) & recipitur in vniuerſo mundo. Et adeò quidem vt, quod Auguſtinus Eccleſiæ veræ & Catholicæ indicium eſſe meritò iudicauit, etiam vbi vos eſtis, ſint aliqui ex noſtris, cùm tamen ex vobis non vbique ſint aliqui nobiſcum. Quare? quoniam pars eſtis abſciſſa, atque adeo hîc tantum aut illic, quibus proinde ne crederemus Paſtor noſter Chriſtus admonuit: non autem Eccleſiæ corpus, quod vbique eſt diffuſum. Sed progredior longius. Quod autem ad caracterē Sacerdotum attinet, quem hîc iſte ſugillat, in alio libro ſunt à me pro illo diſputata ſatis multa.

Ad Rom. 1.

Vide D. Auguſt. lib. de vnit. Eccleſ. cap. 3.

Matth. 24.

In tracta. & Apolog. de Sacrif. ca. 3.

IIII.

Dixeram Dei verbum non tantùm ſcripturæ literis conſignatum eſſe, verùm etiam Eccleſiæ voce ſonare. Hoc iſte abſurdum eſſe obiecit, ob quod ne vellet quidem amplius diſputare mecum. Oppoſui Iſaiæ teſtimonium admodùm

Vide in expli. cauſ. fol. 55. Iſai. 59.

modùm ſanè illuſtre, vbi Deus teſtatur ſe verbum ſuum in ore poſuiſſe Eccleſiæ, vt nimirùm ibi omni tempore ſonet. Reſpondes modo abſurdum te id putauiſſe, non quia dixerim verbum Dei ſonare quoque voce Eccleſiæ, ſed quia Eccleſiam cuius voce verbum Dei ſonat, intellexerim eam eſſe quæ Pontifici Romano pareat. Relaberis ad controuerſiam de vera Eccleſia, de qua in alio loco, ſi Dominus voluerit. Quod autem addis: Non aliud Apoſtoli viua voce doeuerunt, vel ſonuerunt, quàm ſcriptis ſuis & monumentis Eccleſiæ reliquerunt.] *Si aliud, quod ſit ſcriptis contrarium intelligis, omnino aſſentior: atque item etiam, ſi velis, eos literis quoque mandauiſſe multa quæ voce annunciauerunt. Hoc enim illa declarant, quæ ſine aduerſario commemoras: Quæ annunciamus vobis, hæc ſcribimus vobis. 1. Ioan. 1. Item D. Petrus: Ecce vobis ſecundam ſcribo epiſtolam etc. vt memores ſitis eorum quæ dixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & ſaluatoris. Et D. Paulus: Quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto. 2. ad Corinth. 10. Et: Non alia (id eſt non contraria) ſcribimus vobis*

Fol. 124.

quàm

quàm quæ legiſtis & cognoſcitis. 2.Corinth.1. Huc etiam illa Irenæi ſententia ſpectat: Apoſtoli id Euangelium quod prædicauerunt, poſtea per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ.] Nihil autem omnino Apoſtolos verbo tenùs tradidiſſe quod non etiam ſcripſerint, probari ex his locis minimè poteſt. Non enim fruſtra dixit Apoſtolus: Itaque fratres ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtram. Sed & hæc eſt alia controuerſia de traditionibus, quas quia reieciſtis, Herbrande, in veritate non ſtatis. 2.adThes.2.

Porrò ſententia illius quàm exagitare inter conuicia veſtra contra Pontificem ſoletis: Vbi eſt maioritas ibi eſt præcipiendi poteſtas, cæteros manet obediendi neceſſitas; dubium eſt minimè quin illa monitione Apoſtoli, quam & antea tibi obieci, confirmetur: Neceſſitati igitur ſubiecti eſtotæ.] Cur enim hoc imperauit Apoſtolus, niſi quia qui primum locum obtinet, aliis præficitur, maioreq́ eſt præditus authoritate, cui neceſſario ſit obediendum? Ita nihil obſtat quod, vt fruſtra obiicis, & nemo ignorabat, de Ad Rō. 13.

magi-

Fol. 126. *magiſtratibus politicis Apoſtolus tunc propriè loquebatur. Ideo enim illis neceſſariò obtemperandum eſſe ſignificat, quia præpoſiti ſunt aliis, poteſtatemq́; à Deo deriuatam in alios habent. Quare cùm Eccleſiaſtici quoque prælati ſecundùm Dei ordinationem, poteſtatem in alios habeant, maior eſt etiam illorũ authoritas, aliisq́; incumbit, ſecundùm Apoſtoli ſententiam, neceſſitas obediendi. Et alia quæſtio eſt Herbrande de rerum genere in quo poſſint Eccleſiaſtici prælati præcipere: num ad ea etiam quæ diuina lege nõ ſunt præſcripta, (vt poſſe fateris Politicos Magiſtratus) poſſint homines præcepto adigere: quod hîc extra propoſitum negas. Concedis enim certè eos authoritatem imperandi habere. Ex quo illico ſequitur ad ſubditos pertinere neceſſitatem obtemperandi. Sunt enim velut relata, poteſtas imperandi in præpoſito, & neceſſitas in ſubdito parendi, vt ex ratione ipſa, & ex Apoſtoli ſententia tum loco citato,*
Ad Heb. 13. *tum vbi ait: Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete illis; eſt perſpicuum. Quod cùm ita ſit, manet illa ſententia vera: Vbi eſt maioritas, ibi eſt imperandi poteſtas, cæteros manet obediendi neceſſitas.*

Nugas autem & conuicia in Pontificem & ſchemata, quæ in libro tuo ſequuntur, ideo prætereo, quia neminem puto cordatum Lectorem fore, qui non iudicet eſſe leuiſſima reſponſioneq́ indigna: & ad aliam controuerſiam locus de infallibili authoritate Pontificis in determinandis fidei quæſtionibus pertinet. Illud veriſſimum eſt quod Cuſanus ſcripſit, ſcripturam nō de eſſentia Eccleſiæ ſed de bene eſſe, vt loquitur, exiſtere. Si enim ex ſcriptura conſtaret Eccleſiæ eſſentia, nunquam potuiſſet ſine ſcriptura conſiſtere. Conſtat autem antiquiorem eſſe ſcriptura Eccleſiam. At, inquis, non de incæpta tantùm, ſed de conſummata Eccleſia Cuſanus loquitur.] Quaſi non eadem incipientis & conſummatæ Eccleſiæ ſit eſſentia. Certè ſi antequam Apoſtoli ſcriberent, Eccleſia Chriſti extitit, eandemq́ habuit quam nunc eſſentiam; omni tempore ſcriptura aliquid eſt præter Eccleſiæ Chriſti eſſentiam.

Fol. 129. & ſeq.

Fol. 134.

V.

DISPVTATVRVM *ſe mecum ampliùs ob eam cauſam pollicitus fuerat, quoniam intelligeret à me defendi idololatriam in Sanctorum*

inuo-

inuocatione, &c. Hîc ego: Cùm ante certamen iſtud, inquam, non minus ſed vt ſuſpicor magis confidenter iactaret Herbrandus, huiuſmodi cultus eſſe idololatriam; ſi propterea quoniam iſta defendo diſputandum ſibi mecum eſſe non putat, ab initio etiam eadem de cauſa detrectare mecum pugnam debuiſſet. Valde enim fuit ſimplex, ſi ſperauit fore vt ſuis apud me nugis quidquam proficeret. Repetit autem modo ſe in precibus quæ à Catholicis vſurpenter oſtendiſſe idololatriam. Scilicet, ſi eam ſententiam quam iſte per vim, contra Catholicorum mentem, vult, contineant. De hac obiectionis leuitate ſæpius dictum eſt pluſquàm ſatis.

Fol. 135. & ſeq.

Sed obiicit, ſanctos Franciſcum & claram habitos fuiſſe in Italia nouos ſaluatores, ſic vt Franciſcus ſtigmatibus ipſi ab Angelo impreſſis poſſit ſeruare à morte æterna viros qui à ſuo tempore vſque ad mundi finem vixerint: Clara autem ſimiliter virginitatis ſuæ merito eas mulieres quæ poſt ipſam eſſent victuræ. Hanc hiſtoriam libello quodam italico, cui titulus ſit, floſculi ſancti Franciſci, contineri. Refutatum fuiſſe id commentum à Paulo Vergerio libello altero, qui tamen fuerit ab Eccleſia Romana in

Fol. 136. & ſeq.

Cata-

Catalogo librorum prohibitorum aliquoties proſcriptus. Si quidquam Herbrande narratione hac tua mouere nos vis, docendum tibi eſt primò, hanc eſſe ab Eccleſia Romana approbatam receptamq́ſententiam, Franciſcum & Claram tanquam ſaluatores ſeu redemptores, prodeſſe viris ac mulieribus poſt illorum ſeculum degentibus &c. Secundò, Vergerij libellum ob eam rem eſſe ab Eccleſia damnatum, quòd opinionem eiuſmodi de ſanctis Franciſco & Clara confutârit, non autem ob alios errores. Tertiò authorem etiam & authoritatem libri Italici, qui eum errorem cõtineat, indicare te oportet, vt intelligatur an talis ſit, vt meritò poſſis id commentum Catholicis tanquam Eccleſiæ doctrinam aſſcribere. Hæc cùm probè ſcias demonſtrare te non poſſe; cur ludis operam conſcribendis his nugis? Aut cur incautum lectorem decipere conaris? Illa item precatio ad D. Franciſcum, quam hîc memoras: Tu pro nobis ſemper pia prode Chriſto ſtigmata; quo authore eſt compoſita? Quanquàm interceſſio apud Chriſtum redemptorem his verbis petitur, non Franciſcus ipſe tanquam redemptor compellatur.

Quod me repetis ſcripturæ teſtimoniis non vſum fuiſſe, ſupra te tuis etiam verbis de ca-
Fol. 139. *lumnia conuici. Et quod aduersùs cultus diuinitus non præceptos obiicis, omne figmentum cordis humani tantummodo malum eſſe à pueritia, Geneſ. 6. nihil errori veſtro ſuffragatur. Nam primùm (vt nihil iam de modo, quo locũ hunc vos recitatis, contendam) ſi hinc contra cultus argumentaris, plus etiam cõclũdes Herbrande quàm velis. Non enim de figmentis tantùm in cultu ſententia hæc loquitur; ſed* OMNE, *inquis, figmentum humani cordis tantummodo malum eſt. Quid ergo? vis ne humanam omnem actionem, quæ diuino præcepto verbíque Dei ſpeciali approbatione careat, malam eſſe? Hoc ſi vis, primùm repugnas tibi, qui vt ſupra commemoraui, eò es adactus diſputatione, vt negâris ad rectitudinem omniũ omnino actionum requiri ſpeciale præceptum aut teſtimonium diuini verbi. Deinde infinita contractuum & actionum politicarum genera damnare te ſumma opinionis abſurditate oportebit, de quibus num rectè fiant, probabilibus tantùm doctorum ſententiis diſceptatur; nec poteſt ex verbo Dei aliquid de eo genere con-*

conſtitui. Non igitur illius loci ea vis eſt, vt cultus non præcepti ſint mali. nam ſi eſſet, omnes etiam omnino actiones, quæ præcepto teſtimonioq; diuino carent (cùm de omnibus æquè illa ſententia, quam recitas, ſine differentia loquatur) damnarentur, quod ſentis eſſe abſurdiſſimum. Quænam ergo ſunt illa vel opinionum vel actionum figmenta, quæ mala illic cenſentur? Nimirum ea, quæ tantùm ſunt humani cordis, hoc eſt, quæ nihil habent diuinum & congruens cũ ratione recta, quæ eſt naturæ lex Ad Rom. 7. *Sancta atq; bona, quam Deus in mente noſtra plantauit. Hæc propriè ſunt Herbrande figmẽta noſtra: ſicut Dominus per Prophetam affir-* Oſeæ 13. *mat: Perditio* TVA, *Iſraël.] Quæ verò officia, vel in cultu, vel in alio genere cõuenienter rationi rectæ ſuſcipiuntur; quamuis in ſpecie non ſint diuinitus p̃cepta, plantationes tamen ſunt ipſius Dei, quoniam ex diuina radice oriuntur, id eſt, ex lege bona mentis, quam Deus animis indidit, quæq;, vt vberius in alio loco cõtra vos* In tracta. & in Apolog. de Sacrifi c. 4. ad argumenta contra p̃batio-nem 3. *docui, non eſt prorſus per peccatum extirpata. Ita fit, vt minimè ſint omnes voluntarij cultus, quaſi plantationes Dei eſſe nequeant, iuxta Chriſti ſententiam eradicandi, ſed illi tantùm-*

 modo

modo, qui ſint figmenta ſolùm humani cordis, id eſt, peruerſi ſecundùm naturæ deprauationem.

VI.

CVM *cauſareris me ad quædam tua non reſpondere; monſtratis Lectori locis, vbi aliqua me præterire in tuis libris dixiſſem, affirmaui, ea non fuiſſe argumenta quæ ad rem pertinerent, ſed cauillos, nugas, errores à propoſito alienos, &c. Hoc ita eſſe ſatis ipſe nunc*
Fol. 141. & 142. *etiam confirmas. Ais enim me ad id, quod de quæſtionibus ſcholaſticis ſeu aſſertionibus quibuſdam Gabrielis planè extra controuerſiæ inſtitutum obieceras, non ſatis reſpondiſſe. Quia enim docent Theologi, quamuis naturam creatam poſſe, ſi Dei omnipotentia abſolutè ſpectetur, ad vnitatem hypoſtaticam diuinæ perſonæ aſſumi, colligit Gabriel conſequenter quaſdam propoſitiones (vt obiicis) eſſe poßibiles, quæ minus rectè in illa quæſtione ſcholaſtica ſonant. Ego verò, quia cauſam veſtram nihil hoc iuuat, vltrò conceßi, nonnullos ex iis, qui ſcholaſticam Theologiam tractauerunt, feciſſe aliquando curioſiùs, longiusq́; in quibuſdam progreſſos fuiſſe quàm attinebat; aut horridius*

etiam & incommodius fuiſſe interdum loquutos. Sed quia hoc Herbrande tibi non ſuit ſatis, pergisq́ ſine aduerſario vrgere quod ad rem nihil facit, deſcribam hic ad verbum, quid ego in Schola publicè auditoribus, cùm explicarem eam quæſtionem, dictauerim, vt intelligas, neque ſcholaſticæ Theologiæ, neque ſcholaſticorum omnium vicium eſſe, quod in Gabriele reprehendis.

Ergo cùm ſententiam confirmauiſſem eorum Theologorum, qui hoc diuinæ potẽtiæ tribuunt, vt queat ſine repugnantia natura quæuis à perſona diuina aſſumi, hunc in modum ſubiunxi: Quamuis autem hoc ita ſit, rectè nihilominus docet D. Thomas, ſimpliciter & abſolutè loquendo, ſolam naturam humanam debere dici à perſona diuina aſſumptibilem. Quoniam cùm aſſumptibilem eſſe aliquam naturam ſimpliciter dicimus, conſideramus rationem, quæ eſt etiam ex parte ipſius naturæ, vt à perſona diuina congruenter meritóque aſſumatur. In ſola autem humana natura eſt hæc ratio cõgruentiæ; quoniam in ea ſola videlicet eſt & dignitas & neceſſitas. Dignitas, quia poteſt item eleuari diuinitus ad cognitionem & amorem

3. p. q. 4. ar. 1.

rem Dei beatificum: id quod decet naturam ſubſiſtentem in perſona diuina. Neceſſitas autem, quoniam ea ſola & reparatione per gratiam indiget, & reparari poteſt. In aliis naturis omnibus, vel alterutrum, vel vtrumque deeſt. In Angelica quidem deeſt neceſſitas cui occurri poſſit: Sunt enim Angeli arbitrio inflexibili. atque adeò, qui ex illis peccauerunt, obſtinati ſunt in malo. In aliis autem vel rationis vel ſenſus expertibus creaturis deeſt etiam dignitas; cùm nō poſſint ad cognitionem & amorem Dei attolli. Hinc prudenter quoque annotauit in hoc articulo Caietanus, in hac quæſtione ſententiam quidem tenendam eſſe, nempe poſſe quidem, quantum eſt ex parte diuinæ potētiæ, quamuis naturam à diuina perſona aſſumi; ſed linguam eſſe cohibendā; abſtinendumq́; à quæſtionibus piarum aurium offenſiuis, hoc eſt, neque diſcutienda curiosè, nec explicanda verbis eſſe quæ ſequerentur, ſi Deus per potentiam ſuam abſolutam eiuſmodi naturas, in quibus deeſt dignitas & neceſſitas, aſſumeret. Quoniam non poſſimus videlicet ea niſi verbis conſuetudine noſtra vſurpatis efferre: quæ tamen propter reuerentiam remouonda ſunt,

cùm

cùm ſermo eſt de perſonis diuinis. In quo ſanè, inquam, genere, neque approbanda, neque defendenda eſt licentia Gabrielis, qui in 3. ſent. d. 1. q. 1. art. 1. diſſertis verbis & parum verecundè notauit, ex illa doctrina conſequi propoſitiones iſtas eſſe poſſibiles: Deus eſt lapis; (hæc ſunt quæ obiecit extra propoſitum Herbrandus) Deus eſt aſſinus; Deus eſt homo dānatus; Deus eſt diabolus. Quanquàm poſteriores duæ, non tantum malè ſonant, piasq́ offendunt aures, verùm etiam ſunt ſimpliciter falſæ. Si enim diuina perſona naturam dæmonis aut hominis damnati, corruptis eorum perſonalitatibus aſſumeret, deſineret omnino eſſe in eis omnis culpæ peruerſitas. Quoniam, vt inferius certo loco probabimus, repugnat prorſus, naturam hypoſtaticè vnitam diuinæ perſonæ aut peccatum admittere aut peccato inquinatam eſſe. Ita nō verè tunc perſona, quæ naturas eiuſmodi ſumpſiſſet, diceretur diabolus aut homo damnatus. quoniam ſignificamus his nominibus peruerſitatem etiam culpæ. Præceptum igitur S. Thomæ & Caietani ſeruandum eſt, vt non modo non falsò, verùm etiā ne minus reuerenter in hac quæſtione aliquid eloquamur: Ideoq́

ſimpliciter negemus eas naturas eſſe aſſumptibiles, in quibus deeſt dignitas & neceſſitas. Significabimus enim non eſſe certè aſſumptibiles
3.p. q.4. ar. 1. ad. 1. *per ſe. Quemadmodum (vt rectè notat D. Thomas) morbos, qui per ſe, ſi naturales cauſas earumq́; rationes ſpectes curari nõ poſſunt, ſimpliciter dicere ſolemus incurabiles; tametſi per Dei potentiam curari poßint. Hactenus ego in Schola. Vbi vides, opinor Herbrande, non vobis tantùm huiuſmodi ſermones incautos diſplicere, ſed nobis etiam improbari. Neque tamen ideo rectè ad inſtitutum controuerſiæ, quæ mihi tecum eſt, concludere poteris, Idololatriam à nobis committi, quia Gabriel in quæſtione de incarnatione verbi diuini dixerit ꝓpoſitiones illas partim dictu abſurdas, partim etiam, vt oſtendi, falſas, eſſe poßibiles. Quid hoc ad rem de qua nunc agimus?*

Fol. 141. *De ſanctis Franciſco & Clara quod repetis paulò antè dictum eſt quantum eſt ſatis. Neq; mirum eſt reſpondiſſe me prius, id me in Spongia tua, vbi à te commemoratum eſſe aiebas, non potuiſſe reperire: cùm neque iam tu in Spongia eam obiectionem oſtendere potueris, ſed narraſti neſcio quid de libello quodam Ita-*

lico

lico, in quo res contineatur. Oſtendi autem antè quid tibi docendum de eo negotio ſit, vt nos moueas. Quod verò attinet ad precationes ex Pſalterij verbis, ad beatæ Virginis interceſſionem pro nobis vel poſtulandam vel prædicandam compoſitas, dixi initio, in eas omnes quadrare interpretationem meam, quæ adeò plana eſt, vt ſuſpicer Herbrande tibi etiam placere; ſed ſimulandum cenſes; quòd ſit opinione tua precatoria hæc obiectio, non minus plauſibilis quàm eſt reuera prudentum iudicio leuis. Demonſtrabo enim exemplis omnibus, quæ hîc ponis, quæq́; validiſſima eſſe ad reuincendũ nos putas, non tàm oppugnare, quàm confirmare te id, quod & ſæpiſſimè dixi, & toties dicam, quoties importunitas requiret tua; videlicet cum Sancto dicitur, Fac aut concede, ſenſum eſſe, effice precibus & interceſſione apud Deum tua: neque aliud etiam ſignificari, cùm dicitur Sanctus facere aut concedere, niſi quod interceſſione impetrârit. Fol. 143. & ſequent.

Igitur in Pſalterio illo B. Virginis ita, inquis, legitur: Venite ad eam omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & refrigerium et ſolatium dabit animabus veſtris. Precibus, inquis, et inter- In iis precibus, quas potiſſimùm Herbrãdus putat eſſe idololatricas, nullam

 ter-

prorſus cō-tineri idolatriam. *terceßione apud Deum ſua, ſecundùm Hiſpani gloſſam.*] *Habeo Herbrande gratiam, quòd Hiſpani gloſſam ad textum accommodas, non oppugnas. Nam quod immiſces, cùm Chriſtus ad ſe miſeros vocet, ad Mariam eos ablegari à nobis; calumnia eſt, ſi auocari propterea miſeros à Chriſto intelligis. Imò ad Mariam adimus, vt per ipſam ad Chriſtum quaſi introducamur, ipſumq́ adeamus reuerentius, ſicut alibi expoſui. Item: Miſericordia illius veſtrorum auferat multitudinem peccatorum.*

In Apolog. cap. 6. *Non dicit, inqs, interceßio illius, ſed miſericordia illius auferet multitudinem peccatorũ veſtrorũ. Hoc eſt, dicet et exponet Hiſpanus, ex miſericordia ſuſſæ p̃ces.*] *Rectè diuinaſti. Sic enim*

Fol. 144. *prorſus exponit Hiſpanus. Sed aliud, inqs, volũt verba: quæ vim ſibi inferri non patiuntur Hiſpane.*] *Non dicat tantùm, ſed p̃bet Lutheranus, aliud velle verba, quàm interpretetur Hiſpanus. Id verò ex alio loco docere conatur vbi Mariæ dicitur: Per tuam ſanctitatem peccata mea purgantur.*] *Quaſi verò non hîc ſimiliter Mariam ſanctitate ſua intercedentem, ſicut etiam in præcedenti loco, ſua miſericordia, intelligere poßimus. An non etiam*

ſancti-

ſanctitatem aliquid valere ad interceſſionem putas? Item: Miſerere mei Domina, quæ mater miſericordiæ nuncuparis. Et: ſecundùm viſcera miſericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis. Num hæc precatio bonum ſenſum habere poteſt, & commodè exponi in hanc ſententiam: Secundùm viſcera miſericordiarum tuarum effice precibus & interceſſione apud DEVM *tua, vt ille me mundet ab omnibus iniquitatibus meis?*] *Omnino, hic ſenſus eſt. Quid hîc audio Hiſpane? Secundùm viſcera miſericordiarum tuarum tu munda me & quidem ab omnibus iniquitatibus meis, idem tibi ſignificat, quod preces & interceſſio?*] *Ego verò non idem eſſe intelligo miſericordiam, & preces interceſſionémue: ſed cùm Catholicos audio ex B. Virgine poſtulare: Secundùm miſericordiã tuam &c. munda me, intelligo eos petere vt mundet intercedendo; quoniam multis aliis argumentis hanc illorum eſſe mẽtem compertum habeo. Vt ſi quem Cancellario, exempli gratia, alicuius Principis dicentem audirem: facias me præfectum vrbis; ſi præfectura eiuſmodi à ſolo Principe conferri ſoleat, petere ipſum à Cancellario intelligerem, vt*

Fol. 145.

Simile.

vt præfecturam ſibi nonniſi apud Principem intercedendo daret. Ita in propoſito Herbrande, quia cõſtat Catholicis Deum ſolum eſſe gratiæ authorem, cùm eos audis orare B. Virginem ſibi vt gratiam concedat adeoq́; ſe mundet, etc. intelligere te credo eos à B. Virgine petere, vt non niſi intercedendo ipſis gratiam largiatur. Sed ſimulas te non intelligere, ne cùm argumentis careas; ſi carueris etiam precibus, materia omnino deſit, qua replere poſſis pagellas. Sequere ſi placet conſilium meum, & quando rationibus cõuincere non potes, id nos per preces intelligere, quod planè non intelligimus; precare nos vt id intelligamus. Hoc enim ſupereſſe videtur. Quanquàm minimè te exaudiemus. Sed pergo ad exempla tua reliqua, quibus confirmas meam, vt appellas, gloſſam. Venite exultemus Dominæ noſtræ, venite adoremus & procedamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata noſtra: Suſcipe in fine noſtro animas noſtras, & introduc nos in vitam æternam: Secundùm Hiſpanum: Precibus

Fol. 145. *tuis & interceſſione introduc me in vitã æternam. Sed cum hac gloſſa pugnat textus.] Imò verò quadrat, vt ex verbis, quæ tu ea fide, qua ſoles,*

ſoles, in textu tranſiliuiſti, eſt perſpicuum. Ita enim B. Bonauentura, huius Mariani author Pſalterij, inter verba, quæ recitauiſti, p̃catur: IMPETRA nobis indulgentiam plenam, aſſiſte pro nobis ante tribunal Dei. Tum ſequitur: Suſcipe in fine animas noſtras, &c. Quis non videt interceſſionem hîc poſtulari? Sic & alibi paſſim hunc eſſe ſenſum indicatur. Hùc & illud refertur: In manus tuas Domina commendo ſpiritum meum, totam vitam meam & diem vltimum meum.] *Certè in humanis etiam negotiis, interceſſoribus ſeu mediatoribus dicere partes ſolent: In manu tua res tota eſto; eam tibi permitto, &c. Pari ratione beatiſſimæ Virgini meritò nos ipſos committimus, vt interceſſione ſua rem agat noſtram. Item: Niſi Domina ædificaueris domum cordis noſtri, (ſcilicet precibus, inquis, et interceſſione apud Deum tua) non permanebit ædificium eius.*] *Rectè interpretatus es. Sed quod immediatè, inquis, ſequitur, vix gloſſam hanc admittet: Aedifica nos gratia & virtute tua, vt maneamus firmi in perpetuum: niſi gratia & virtus preces & interceſſionem ſignificet.*] *Non neceſſe eſt, gratiam & virtutem ſignificare preces vt intelligamus* Fol. 146.

gamus peti ex Virgine interceſsionem, cùm dicimus: Aedifica nos gratia & vîrtute tua: Satis eſt, quòd gratia & virtute ſua, ſicut & ſanctitate ac miſericordia ſua (vt antè expoſitum eſt) poſsit illa intercedere. Eodē pertinet illud: Da nobis in nomine tuo fiduciam. Id eſt, impetra, vt confidamus eo modo, quo licet et par eſt, in interceſsione tua? Et illud item: Ipſa enim medetur cōtritis corde, & refouet eos vnguento pietatis; Intercedendo nimirum. Sicut eadem ratione Damaſcenus, vt ſuprà recitaui, affirmat, eam leuamen eſſe omnium cordis dolorum. Quia verò plurimùm apud Deum illius interceſsio valet, & omnib⁹ præſto eſt, ideo etiā dicitur: Magna eſt virtus eius, & clementia eius nullum habebit finem. Iam quod obiicis, nos in Geneſi legere IPSA conteret caput tuum, cùm debeat potiùs IPSE, id eſt, Chriſtus, ſemen mulieris, dici; primùm aliqua exemplaria vulgatæ æditionis habent, IPSE. Deinde hoc ipſo quod Chriſtus caput ſerpentis contriuit, Ipſa etiam Chriſti mater ſuo modo contriuit pariendo Chriſtum. In quam ſententiam & D. Auguſtinus inquit: Genitrix Domini noſtri SALVTEM ATTVLIT mundo.

Serm. 18. de Sanctis.

do. Autrix peccati Eua, AVCTRIX MERITI *Maria. Eua occidẽdo obſuit, Maria* VIVIFICANDO *profuit. Illa percuſſit,* ISTA SANAVIT.] *Siue igitur* IPSE, *ſiue* IPSA *in illo loco legamus, vera ſententia verbis ſuberit. Neque omni controuerſia vacat, quo modo Hebraicè ſit legendum. Mihi ſatis nunc eſt, nullam eſſe idololatriam, ſi dicamus, Mariam etiam contriuiſſe ſuo modo ſerpentis caput; aut ſi eam illis modis precemur, quos tu Herbrande vaniſſimo labore ſubinde repetis atq; inculcas, perinde ac ſi per vim, velimus nolimus, poſſes nos facere idololatras, eamq́; ſententiam verborum, nobis inuitis, in mente noſtra ingenerare, à qua ſumus alieniſſimi. An non ſentis quanta ſit vanitas huius tui conatus? Accuſa, ſi placet, idololatriæ Auguſtinum, quoniam Mariam* SANARE; VIVIFICANDO PRODESSE; *S*ALVTEM AFFERRE; *A*VCTRICEM MERITI ESSE, *dicit, quiq́; eandẽ Virginẽ ita precatur: Admitte noſtras preces intra ſacrariũ exauditionis et reporta nobis A*NTIDOTVM RECONCILIATIONIS. *Sit* PER TE *excuſabile, quod per te ingerimus. Accipe quod offerimus,* REDONA Vbi ſuprà.

quod

quod rogamus, excuſa quod timemus. Quia TV ES SPES VNICA PECCATORVM. PER TE SPERAMVS PECCATORVM VENIAM, ET IN TE BEATISSIMA NOSTRORVM EST EXPECTATIO

In Euangel. de Deipar. PRÆMIORVM.] *Accuſa Athanaſium, qui Mariam* VITÆ MATREM, REGINAM, DOMINAM, HÆRAM *appellat. Accu-*

In ſerm. de dormit. Deipar. *ſa Damaſcenum, quoniam etiam precetur: Aue Gaudij* PELAGVS INEXHAVSTVM, *Aue* VNICVM *moleſtiarum* LEVAMEN, *Aue* OMNIVM *cordis dolorum* MEDICAMENTVM, *Aue ſancta Virgo,* PER *quam* MORS *quidem fuit expulſa,* VITA *autem introducta.*] *Exclama hic Herbrande; Dic non quadrare his & ſimilibus loquutionibus Patrum vllam gloſſam, ideoq; idololatras etiam eos omnes fuiſſe. An tam eris omnis pudoris expers, vt ſanctiſsimos eruditiſsimosq; viros contumelia vſque adeò atroci afficere audeas? Quod ſi hoc non audes, deſine tandem in nobis honorificas Virginis compellationes accuſare, quæ nec exemplo illuſtrium Doctorũ carent, & ſignificationem, vt expoſuimus, ha-*

Fol. 147. & 148. *bent rectiſsimam. Iam quod in libro tuo ſequi-*

tur

tur eandem à nobis committi idololatriam, quæ olim commiſſa eſt à Iudæis & Gentibus; Sanctosq́; pro Diis nos habere, ſicut Ethnici, mutatis tantùm nominibus &c. calumniæ ſunt leuiſſimæ euidētiſſimis rationibus & teſtimoniis à me ſæpius reuictæ ſuis locis, quò remitto lectorem. Non enim profers teſtimonia & argumenta mea, nec quomodo locum illum Oſeæ, Non vocabis me ampliùs Baalim; explicauerim: ſed repetis tantùm quæ ſunt refutata. Vide in Apologet. & confut. cap. 2. & 6.

VII.

QVESTVS *erat præterea me teſtimonia quorundam authorum, quæ ipſis fauere, nobis aduerſari videntur vel expoſuiſſe, vel quòd authoritatis eſſent haud magnæ reieciſſe. Hîc inter cætera explicaui quemadmodū poſſit Pōtifex ſcribere vel definiendo, id eſt, obligando vniuerſam Eccleſiam ad id recipiendum, quod eſſet determinare aliquid vt Pōtificem: vel vt priuatus alius Doctor, exponendo videlicet quid ipſe ſentiat, non autem alios, vt idem ſentiant, obligando. Hoc iſte nullis argumentis oppugnat; Sed obiicit more ſuo neſcio quæ contra Pōtificum aliquorum perſonas, quæ nihil prorſus* Folio 150. & 151.

ſus eorum authoritati atque officio derogant. Scimus enim peccari etiam ab illis, vt à priuatis perſonis poſſe; negamus tamen grauiſſimis argumentis teſtimoniisq́ (de quibus aliâs) adducti, poſſe illos errare cùm authoritate atque officio funguntur ſuo, determinantq́ aliquid tanquam Pontifices.

Hanc ob cauſam Panormitani ſententiam dixi mihi, ſicut & aliis etiam, diſplicere; nempe vnius priuati authoritatem in rebus ad fidem pertinentibus auctoritati Pontificis aliquando præferri poſſe. Quoniam, inquã, quidquid priuatus è Scriptura ſacra alleget; vbi tamen Pontifex controuerſiam fidei cum authoritate determinat; illud magis Scripturæ ſacræ conſentaneum eſſe, credendum eſt, quod à Pontifice definitur. Quod Panormitanus mihi, vt antea dixi, non tam negauiſſe quàm non conſiderauiſſe videtur. Ita nunquam Pontifex contra Scripturam ſacram erit audiendus? Nunquam enim accidet, neque accidere poteſt, vt Pontifex cum authoritate aliquid definiens, (ad quod ſcilicet credẽdum obliget vniuerſam Eccleſiam) repugnet Scripturæ ſacræ. Quod ex promiſſionibus Eccleſiæ factis in alio loco facillimè

limè oſtenditur. Neque obſtat quòd, vt Herbrandus hîc opponit, fruſtra Pontifices Iudæorum illa verba vſurpabant: Non peribit lex à Sacerdote. Et: Templum Domini, Templum Domini, &c. Nam, vt alio in loco diffuſè docui, Synagoga peritura erat: Eccleſia & conſequenter, q Eccleſiæ præeſt, ſucceſſor Petri & Chriſti Vicarius illuſtriores habet de veritate doctrinæ promiſſiones. Et vos Herbrande non eſtis primi, qui Eccleſiam cum Synagoga illiusq; Pōtifices cum Phariſæis cōtumelioſè comparetis. Sed conuicium hoc etiam fuit Donatiſtarum, vt apud B. Auguſtinum in ea diſputatione, quam habuit cum Petiliano, videre eſt.

Fol. 152.

Lib. 2. contra lit. Petil Donat. cap 61.

Porrò Pontificem, cùm controuerſiam fidei determinat, errare nō poſſe, cum eo etiam congruere, vel ex eo deduci poſſe, dixi, quòd iſte concesſit conuenire, vt in negotio etiam doctrinæ & religionis vnus aliquis cæteris præſit. Quæro enim, inquam, an non iſtius vox, ſi quid in fidei controuerſia tenēdum eſſe doceat, à cæteris omnibus ex diuino præcepto ſit audienda? Si audienda, non igitur ille poterit fallere; obligaret enim tunc Deus ad id credendum aliquando quod eſſet falſum. Si autem

In explicat cauſ. fol. 57

non ſit neceſſariò eiuſmodi præpoſiti vox tanquam proponens certo veram fidem audienda, carebit religio præſide ac iudice in eo negotio, quod eſt in religione ſummum: vt ſcilicet exorientes controuerſiæ, num hoc aut illud dogma ſit ſecundùm fidei & ſcripturæ analogiam ac veritatem, &c. terminentur. Hîc iſte primùm negat ſe dixiſſe, vnum aliquem cum authoritate infallibili debere vniuerſæ Eccleſiæ præeſſe. Atquì neque ego affirmaui ipſum ita dicere. Sed quod nos docemus, eum, qui vniuerſæ Eccleſiæ præeſt, in determinandis quæſtionibus fidei errare non poſſe, id verò cum eo quod iſte dedit, vnum aliquem in negotio doctrinæ & religionis debere cæteris præeſſe ſaltem in ſingulis regionibus, vt ille dicit, cõgruere aſſerui. Quia vt argumentando concluſi, oportet eius, qui tanquam ſummus aliis in doctrina præeſt, vocem eſſe infallibilẽ, ne in quæſtionibus de Scripturæ collatione & ſenſu, & de cæteris modis, quos iſti ad certo inueniendam veritatem inſufficienter aſſignare ſolent, controuerſiæ ſint interminabiles, negotiumq́; religionis nihil aliud quàm Babel, id eſt, confuſiſſima confuſio, vt eſt apud Sectarios, qui ex

Fol. 153.

Luth e-

Lutherana familia prodierunt. Quid enim hîc laborē veſtra de Herbrande cōcordia? Quæ mihi quidem diſcordiæ veſtræ potiùs luculentiſsimum teſtimonium eſt. Nam cur non omnes, qui à Pontifice Romano, Luthero magiſtro defecerunt, ſubſcripſerunt vobis? Nimirum quia in varias Sectas eſtis diſſecti, bellumq́; vobis eſt, vt ipſe alicubi fateris, irreconciliabile. At multi ſubſcripſerūt ſua nomina. Quaſi verò ignorauiſſemus priùs, factionem ſeu ſectam vnam conſtare ex opinione pluriùm. Non ſubſcripſerunt ſectarij omnes, non Caluiniani, non omnes Lutherani. Quare manet adhuc diſcordia, & manet certè ſcripto veſtro teſtata inter ſectarios. In refutat. tract. de Sacrificio cap. 3.

Sed hæc obiter. Quæ verò deinceps ex Panormitano commemoras ad rem non faciunt. Et errorem Caſſandri, nempe Sanctos non eſſe deligendos pro Patronis, ſicut eſt apud Catholicos vſitatum, dixi & repeto, tum quoniam error per ſe eſt, tum etiam eo nomine quoniam vobis in cōtrouerſia, quam nobiſcum habetis, placet, improbari mihi. Hîc mihi maledicis. Ego maledictione tua nihil lædor, ſed ex animo certè miſereor tui, quòd cum ma- Fol. 157.

ledictis tantùm, cauillis, calumniis, pugnare te ſentias; & conſcientiæ tamen & veritati præ obſtinatione pergas reſiſtere. Quid enim? An Fol. 157. & 158. *fieri poteſt, vt perſuadeas tibi quod in libro tuo ſequitur, & antea etiam calumniatus eras, nos videlicet non credere Chriſtum contriuiſſe caput ſerpentis, neque etiam remitti peccata per Chriſtum? At non placent, inquis, vobis, quæ nobis placent; & nobis iſta probantur. Cur cauillaris Herbrande? Eſt ne controuerſum inter nos, num per Chriſtum remittantur peccata; aut vtrum is contriuerit caput ſerpentis? Minimè. Nam & nos iſta conſtantiſſimè confitemur. Ego autem quæ ſententiæ in re controuerſa inter nos vobis placent, (ſicut illa Caſſandri) mihi vel eo nomine eas diſplicere dixi.* Geneſ. 3. *At, vbi legendum eſſet* IPSE, *id eſt, Chriſtus, conteret caput tuum; Legitur à nobis,* IPSA. *Primùm non ſequitur; In illo loco Geneſis Catholici non legunt Chriſtum contriturũ fuiſſe caput ſerpentis: Igitur omnino negant, nuſquamq́ fatentur à Chriſto fuiſſe ſerpentis caput contritum. Deinde beatam Virginem contriuiſſe ſerpentis caput dicimus, quia Chriſtum genuit, per quem contritum eſt. Ita tùm etiam*

cùm

cùm legimus IPSA *conteret, &c. contriuiſſe illud Chriſtum inprimis fatemur. Tertiò, aliqua exemplaria noſtra habent* IPSE. *Poſtremò, vt antea dixi, quæſtio eſt, vtromodo etiam Hebraicè ſit legendum. Quod verò ad fidem remiſſionis peccatorum attinet, oſtendi breuiſſimè in alio libello, qualis debeat eſſe. Nimirum certò credendum eſt remiſſionem peccatorum iis hominibus per Chriſtum in Eccleſia contingere, qui credũt, diligũt, ſperant ſicut oportet, vt eis iuſtificationis gratia conferatur. Ita, neque Idea Platonica, vt leuiſſimè argumentaris, eſt ea remiſſio peccatorum, quam credimus, ſed* Fol. 158.
donum quod multis in Eccleſia cõtingit hominibus; neque poteſt aliquis ſine vlla hæſitatione ꝓpriæ infirmitatis in fide, ſpe, & charitate, ſtatuere ſe vnum ex illis eſſe, quibus peccata per Chriſtum remittuntur. Quod & conſcientiæ veſtræ teſtimonio, Herbrande, eſt longè veriſſimum. Eſtis enim, ſi vlli alij de gratia incertiſſimi, neq; in animo, ſed in lingua ſolùm iſtius veſtræ fidei habetis certitudinem. Verùm hæc alio in loco. Quod verò ex Apoſtolo obiicis: Ideo Fol. 159.
ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſ- Ad Rom. 4.
ſio; diuerſum longè habet ſenſum à veſtra cor-

ruptela. Concludit enim Apoſtolus aliud nihil, quàm per fidem & legem Chriſti, non autem per vllam obſeruationem legis veteris per ſe ſine reſpectu ad Chriſtum contingere aut cõtigiſſe vnquam alicui iuſtificationem; quoniam firma & fidelis fuerit promiſſio, qua pollicitus eſt Deus iuſtitiam et benedictionẽ non tantùm Iudæis, ſed omnibus omnino Gentibus in Habrahæ ſemine, id eſt, Chriſto. Hoc eſt, quod dicit: Ideo ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio (id eſt, vt appareat fuiſſe fidelẽ ac firmam) OMNI ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed ei qui ex fide eſt Habraha, &c.] Nihil profectò minus agit hoc in loco Apoſtolus quàm quod vos comminiſcimini; ideo ſcilicet gratiã ſolo fidei motu nõ autem charitatis etiam, &c. gratiam apprehendi, vt poſſit quiuis certò ſine vlla hæſitatione credere, ſe prorſus in gratiam per ſolam fidem eſſe receptum. Neque hîc nec vſquam Apoſtolo id venit in mentem, ſed aliud diſputat, vt in alio loco contra vos demonſtraui.

Vide diſputat. de differ. vet. & nouæ leg. Fol. 160.

De Francfordiana Synodo quod repetis, in ea fuiſſe Caroli Magni opera Synodum ſeptimam, qua imaginum veneratio defenditur,

damna-

damnatam; fruſtra te fatigas, donec Alani Copi diligentiam, vt antea bis à te petiui, refutes, qui figmentum hoc veſtrum cum ſuis coloribus eruditè detexit, ac manifeſtè reuicit. Sed hîc tu: Copus, inquis, argumenta recentiorum & exempla, quæ hi euulgarunt, rationes illorum qui libros Caroli Magni ædiderunt demum ante annos triginta, non vidit, non legit, nedũ refutârit ante annos 250 mortuus.] Fol.162. *Vel ex hoc Herbrande apparet quàm ſis tuis in ſcriptis cautus & acuratus. Alanum Copum, qui anno primùm 1566 Dialogos ſuos Antuerpiæ apud Chriſtophorum Platinum curauit edendos, eosq́; eodem anno Ioanni Lentallerio Cœnobiarchæ Acquiſcinctẽſi inſcripſit, tu mortuum ante annos 250. eſſe ſcribis. Quis iam dubitare poſſit quin ſis peritiſſimus Chronologus? Certè vel id, quod anteà reſpõderam, debuiſſet te cautiorem reddere. Nam cùm dixiſſes me iniuſtè facere, quòd ei Synodo Alanum Copum longè poſteriorem opponam; reſpondi, me non opponere Alani authoritatem, (eſt enim, inquam, author recentiſſimus) ſed Alani diligentiam, ſtudium, argumenta quibus id libri commentum refutauit. Adhæc tibi Herbrande reſpondendum erat.*

VIII.

Hic vt commentum illud ſupra conuictum probet; nempe idololatriam in cultu etiam, qui ad verum Deum dirigatur, committi poſſe, ſcripturæ quædam teſtimonia repetit, quæ dixerat fuiſſe à me deprauata. Quia verò de his partim ſupra, partim in aliis libris tantum à me dictum eſt, quantum ad iſtius corruptelas detegẽdas fuit ſatis, conabor breuiter rem expedire.

Oſeæ 2. *Dicit Dominus apud Oſeam: Non vocabis me amplius Baal meus.*] *Hoc iſte ſic intellexit quaſi ſenſus eſſet, fore vt populus Iſraël non committeret amplius idololatriam afficiendo verum Deum cultu Baalitico. Ego Baaliticum cultum ab illo populo vſurpatum non vero Deo ſed idolis gentium delatum fuiſſe, ex illis verbis docui, quibus dicit Dominus in eodem loco: Viſitabo ſuper eam dies Baalim quibus accendebat incenſum & ornabatur inaure ſua & monili ſuo,* ET IBAT POST AMATORES SVOS, ET MEI OBLIVISCEBATVR.] *Reſpondet ille & reſpondit antea eos etiam dici Dei obliuiſci, qui faciunt contra Dei legem, eamq́; negligunt, (quod nemo illi negauit) ideo in illo loco oblitum fuiſſe*

In confutat. Spong. ca. 2.

Fol. 163. & ſeq.

Dei

Dei illum populum hoc ſolo, quod contra voluntatem ipſius eum afficeret cultu Baalitico. Sed obſtat quòd ibi non quomodocunque dicitur ille populus fuiſſe Dei oblitus, ſed ita vt iret POST AMATORES SVOS, *id eſt idola &c.* Fol. 165. & 166.
Nam quòd obiicit hìc illa verba. Non vocabis me amplius Baal meus, iamdudum, & quidem bis eorum ſententiam expoſui; nempe futurum eſſe vt ille populus, quis nam eſſet verus Deus agnoſcens, nõ amplius falsò cogitaret eum Baalim ſiue idola eſſe. Sicut infideles faciunt, qui cùm generatim concipiunt notitiam aliquam de Deo veram, eam ex errore accommodant ad idola vel alias creaturas, quæ non ſunt verè Deus: atque ita hunc ipſum verũ Deum generali notitiâ prius cogitatum nominibus earum creaturarũ vel idolorum inſipienter afficiunt. In confutat. Spong. ca. 2. & in explic. cau. fol. 71.
Cum qua expoſitione illa verba, quæ apud eundem prophetam ſequuntur, conuenire dixi: Et auferam NOMINA Baalim de ore eius & non recordabuntur vltra nominum eorum.] Oſeæ 2.
Ad hanc interpretationem iſte ſecundò iam obmutuit. Ex qua quidem & illud etiam intelligitur quod item obiicit, Sedeciam Baalitam Michea dixiſſe: Me ne ergo Domini dimiſit Fol. 165. 3. Reg. vlt.

miſit ſpiritus, & tibi locutus eſt? Nimirum putabat, Baalim, cui ſeruiebat, eſſe verum Deum. Fol. 164. *Quod autem negas ſententiam tuam eſſe eos etiam dici Dei obliuiſci, qui perinde faciunt contra Dei legem ac ſi Dei prorſus nihil recordarentur (quod ego dixeram fuiſſe ſummã eorum quæ hîc verboſè ſcripſiſſes) neſcio qua conſcientia negas, cùm hæc fuerint tua verba:* In expli. cau. fol. 63. *Ideo (dicebantur Dei obliuiſci) quia neglecta & prætérita vera religione diuinitus inſtituta cultus exercebant abſq; verbo Dei, quod facere erant prohibiti.*] *Et paulò inferiùs: Vſitata enim, inquis, ſcripturæ phraſi nomina affectuũ ſenſuum & notitiæ, etiam effectus conſequentes ſignificant.*]

Fol. 168. *Porrò qualis fuerit idololatria populi Iſraël in deſerto, quod hîc repetis, ſupra dictũ eſt. Sic & de idololatria eorum qui ſacrificabant in excelſis, & de peregrino cultu, & de ſuperſtitione matris Michæ alibi ex Scriptura ſacra itemq; ex idololatriæ ratione ita diſputaui vt manifeſtè oſtenderim idololatriam veri nominis nunquam in veri Dei cultu committi.* Vide in Apolog. & Confut. Spong. cap. 2. *Quod tu iam diſſimulas, tantumq; tua repetis, veſtro more. Ad locum verò Iudicum quod attinet, rides*

tantùm

tantùm & cauilaris, non oppugnas rationem, quã reddidi, cur idem peccatum idololatriæ in cultu non veri Dei ſed Baalim commiſſæ bis illic narrari intelligere poſſimus, (poſſimus inquam, quoniam & aliis modis ex B. Auguſtini ſententia expoſui eum locum) primò, cùm dicitur: Et fornicatus eſt in Ephod omnis Iſraël, & factum eſt Gedeoni & omni domui eius in ruinam &c. ſecundò cum expoſita deinde morte Gedeonis ſubiungitur: Poſtquàm autem mortuus eſt Gedeon, auerſi ſunt filij Iſraël & fornicati ſunt in Baalim, percuſſeruntque cum Baal fœdus vt eſſet eis in Deum.] *Hanc idololatriam dixi nos intelligere poſſe prius item cùm acta Gedeonis ante mortem recenſerentur, fuiſſe etiam narratam, illis verbis: Fecitq́ʒ ex eo (ex auro) Gedeon Ephod, & fornicatus eſt in eo omnis Iſraël, & factum eſt in ruinam &c. ſicut poſtea euenit. Rationemq́ʒ reddidi, quia cùm ei idololatriæ dediſſet Gedeon occaſionem faciendo Ephod; ad narrationem actorum Gedeonis pertinebat etiam illius commemoratio. Hic iſte perſuadere me velle dicit, duo diuerſiſſima peccata eſſe vnum & idem. Falſum eſt. Sed aio, intelligere nos poſſe, quòd vnum & idem idololatriæ*

Iudic. 8.

Vide in Apolog. c. 2.

Fol. 171.

triæ

triæ peccatum bis narretur. Primò cùm narrantur geſta Gedeonis in vita; deinde cùm ea perhibẽtur, quæ contigerunt poſt eius mortem, occaſione accepta ex Ephod quod ille faciendum
Fol. 172. *curârat. Sed ais me concedere, duo fuiſſe idololatriæ peccata, hoc ipſo quòd dico, Gedeonẽ ſuo Ephod occaſionem dediſſe Idololatriæ Baaliticæ.] Quaſi verò idololatriæ occaſio præberi nequeat niſi per peccatum, quod item ſit propriè idololatria. Vides, quomodo cauillaris?*

Micheæ 6. *Ex loco Micheæ: Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum; ꝓbare voluiſti, cultum etiam veri Dei, ſi ad eum finem, vt remiſſionem peccatorum per illum conſequamur, ſuſcipiatur, eſſe, tantùm ob circumſtantiã talis, finis, idololatriam. Sequitur ergo, inquàm, Deũ præcepiſſe populo Iſraëlitico Idololatriam, cùm iuſſit vt fierent ſacrificia pro peccatis; quoniam aliquo modo ad remiſſionem peccatorum obtinendam ea ſacrificia conferebant, & ad eum*
Fol. 172. *finem Deus ea referri voluit. Reſpondet valuiſſe ad eum finem ſolùm typicè, non autem ex opere operato. Atquì hoc ego non à te conuictus vt ridiculè cauillaris, ſed ſponte mea longè*
Cap. 2. *priùs, quàm tu, in Apologetico notaueram,*

quod

quod, vt antè obieci, videris eſſe oblitus: Sed ideo te arguebam, quoniam ſignificares idololatriam omnino eſſe, vllo modo remiſſionem peccatorum per cultum, tanquam finem, procurare.

Contendebas præterea propoſitionem illam: Quod præcipio tibi hoc tantum facito, Domino Deo tuo neque addas quidquam, nec minuas; eſſe planè vniuerſalem, etiam vt ad nos id mãdatum accommodabas; ſi quidem de noſtris cultibus eſt controuerſia. Hic ego: Si planè vniuerſalem vis eam eſſe propoſitionem, & accipi generatim vt ſonat, cur non mones Lutheranos tuos vt ſe circumcidant? Non enim dicit tantùm: Neque addas quidquam; ſed etiam dicit, (quod ego vrſi & tu iam diſsimulas) Nec minuas. Nunc nihil noui reſpondes præter id, quod antea dixeras non debere nos circumcidi, quoniam Habrahæ & ſemini eius tantùm ſit imperata circumciſio. Ex quo, vt antea obieci, id ipſum planè, quod volo confirmatur, nõ eſſe ſententiam illam, vt accommodatur ad nos, planè generatim vt ſonat accipiendam: ſonat enim per ſe ne circumciſionem quidem fuiſſe prætermittẽdam, quam etiam præceperat Dominus

Deuter. 12.

Vide in confut. Spong. cap. 2.

Fol. 163.

minus Iſraëli cum quo tum loquebatur. Sed de illo loco alibi ſæpius multa.

Iſai. 56. *Reliquum eſt teſtimonium quoddam Iſaiæ, per quem Dominus de fidelibus prædixit: Holocauſta eorum & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.] Hinc obiter dixeram, ſacrificium Miſſæ confirmari poſſe. Primò quia de ſacrificiis ſuper altari materiali imponendis in Eccleſia loquitur: cùm etiam domum orationis ibi intelligat templum materiale cuius erat futurus vſus in Eccleſia: nam ad eius generis templum accommodauit*
Matth. 21. *Chriſtus eum Iſaiæ locum. Perſpicuum eſt autem ſuper altari materiali non poſſe imponi niſi ſacrificium propriè dictum; nec aliud ſacrificium niſi Euchariſtia propriè in Eccleſia vſurpari, in quo prophetiam intelligamus eſſe adimpletam. Secundò, quia cum hac ſententia optimè congruit quod proximè in illo loco ſequitur: Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum &c.] Ita enim intelligendum erit, gentes, quæ prius erant prauis religionibus ac inſtitutis efferatæ, conuenienter inuitari eo loco ad vſum Euchariſtiæ ſacræ, quæ prius de more*

ſuper

ſuper altari in Eccleſia ſacrificatur. Hic iſte prius quædam obiecit, quæ iam non commemorat, quoniam fuerunt à me planè refutata. Nunc verò Hieronymi locum profert; vbi tamen ille tantùm negat de ſacrificiis Iudaicis hunc locum intelligendum eſſe, tum etiam eum accommodat ad ſpiritualia ſacrificia orationum & rectorum operum, quæ in Eccleſia offeruntur Deo ipſiq́; placent per Chriſtum. Sed animaduertere iſtum oportebat, Hieronymum non negare, quominus ob rationes à me expoſitas poſſit etiam locus ad ſacrificium Euchariſtiæ referri. Vt enim ſupra ex Auguſtini doctrina notaui, plures ſenſus veros vnus & idem admittit ſcripturæ locus. Vnde ibidem Hieronymus, quamuis illam ſententiam: Omnes beſtiæ ſiluæ venite ad deuorandum; alio quodam modo, quem iſte retulit, exponat, ad Euchariſtiæ quoque (ſicut differui) vſum deinde accommodari poſſe dicit, quod iſte callidè diſſimulauit. Ita enim ſubiūxit: Poteſt & hoc dici, quòd cum Iſraël populo rabidæ prius gentes prouocentur ad fidem; vt deſertis ſaltibus, qui de exercitu Abſalon plurimos occiderunt, veniant ad Eccleſiam, ET COMEDANT COELESTEM

Fol. 176.

Lib. 3. de doctri. Christ. cap. 27.

Li. 15. com. in Iſai. c. 56.

PANEM AGNI, QVÆ CARNE SATVRENTVR.] *Sed de ſacrificio Miſſæ in proprio loco diſputatum eſt. De controuerſia verò, quã nunc tractamus, nihil ſupereſſe iam video. Nam de Eccleſia vera, extra quam Herbrandus, quidquid hoc loco tergiuerſetur, oberrat, alia eſt quæſtio; & Lector per ſe deprehendet, eum illis verbis, quæ appẽdicis loco, vt compleret pagellam, ex priore libro ſuo repetiuit, nullum reipſa (quod antea etiam obieci) aſſignauiſſe diſcrimen inter definitionem idololalatriæ à Gerſone traditam, quam approbauit, & definitionem meam: neque reſpondit vnquàm ad rationem, qua perſpicuè docui inter eas definitiones nihil intereſſe. Diuinam bonitatem ſupplex oro, vt hunc laborem meum ad ipſius gloriam ſuſceptum velit habere gratum, emolliatq́; aliquando dura corda ſectariorum.*

In explicat. cau. fol. 4. Vide in confut. Spong. cap. 1.

Laus Deo, & ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ.